MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80180-23

AUTHOR:

HELMKE, WILHELM

TITLE:

DE DEMOSTHENIS CODI-
CIBUS...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1896

Master Negative #

91-80180-23

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Helmke, Wilhelm, 1871-
De Demosthenis codicibus quaestiones selectae, pars prior. Dissertatio inauguralis philologica quam ... publice defendet auctor Guilelmus Helmke ... Berolini, Mayer et Mueller [1896]
41 p. 22½ cm.

Thesis, Berlin, 1896.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA ~~IIA~~ IB IIB
DATE FILMED: 8/14/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

mm

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE DEMOSTHENIS CODICIBUS QUAESTIONES SELECTAE.

PARS PRIOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICA
GUILELMA BEROLINENSI
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS
DIE XIII. M. OCT. A. MDCCCLXXXXVI
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUILELMUS HELMKE
BEROLINENSIS.

ADVERSARII ERUNT
W. MICHAELIS, STUD. PHIL.
O. SCHULTZE, DR. PHIL.
P. DE WINTERFELD, DR. PHIL.

BEROLINI
MAYER ET MUELLER.

Cum Falcultas Philosophorum Amplissima mihi permiserit, ut partem tantummodo commentationis meae typis imprimendam curarem, ea, quae de recensione orationis Midianae et Philippicae tertiae praeterea scripsi, haud scio an occasione oblata alio loco publici iuris facturus sim.

Parentum Manibus.

S.

De Demosthenis codicibus quaestiones selectae.

Cap. I.: de familia Atticiana.

Inter omnes Demosthenis recensiones iam apud veteres nobilissima fuit ea, quae appellatur Atticiana. Atque viri docti nostrae aetatis fere omnes in ea re consentiunt optimum codicem Parisinum Σ apographon esse eius recensionis. Tamen non defuerunt, qui denuo dubitationem de ea re moverint, velut imprimis Buermannus, qui eam rem attingit in Hermae volumine XXI, pag. 34 et similiter, quamquam non tam aperte, Lipsius (Abhandlungen der sächsischen Akademie 1893/94). Itaque necesse est iterum ea argumenta examinari, quibus commoti viri docti putaverunt Σ esse ex familia Atticiana. Duae enim res codicem Σ eiusque comites cum eis, quae de recensione ab Attico facta tradita sunt, coniungunt: Primum lexici in decem oratores scriptor, Harpocrationem dico, ter singulas lectiones codicum Atticianorum affert: 1) s. v. Ἀνελοῦσα γὰρ τὸν νόμον τοῦτον, ἐχειροτόνησεν αὐτῇ dicit: Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀνδροτίωνός φησιν; ἀσαφῶς δ' αὐτοῦ ἔχοντος καὶ ἐλλιπῶς, ἄλλοι ἄλλως ἐξηγοῦνται. ἐν δὲ τοῖς Ἀττικιανοῖς διττὴ ἦν γραφή, ἡ μὲν οὕτως. „ἀνελοῦσα γὰρ τὸν νόμον τοῦτον ἐχειροτόνησεν αὐτήν, ἀντὶ τοῦ παραβᾶσα γὰρ τοῦτον τὸν νόμον διαχειροτονίαν περὶ αὐτῆς ἔδωκεν, εἰ χρὴ στεφανοῦν αὐτήν. ἡ δ' ἄλλη. „ἀνελοῦσα γὰρ τὸν νόμον τοῦτον ἐχειροτόνησε λάβοῦσα ἐκεῖνον αὐτῇ.“ Locus est in Androtionea p. 599, 23, quem intelligimus iam pridem obscurissimum fuisse. Quarum lectionum diversarum alteram: ἀνελοῦσα γὰρ τὸν νόμον τοῦτον, ἐχειροτόνησεν αὐτήν habet verbotenus Σ, altera, ipsa quoque ex codicibus Atticianis prompta, ut Harpocration docet, in nullo aliorum codicum exstat: immo Y, O, t,

F et corr. k, quamquam propius accedunt, tamen om. λαβοῦσα ante αὐτῇ. Videtur igitur iam Harp. in Attici recensione duas diversas classes codicum cognovisse et inspexisse, quarum utriusque classis lectiones hoc loco difficillimo affert. Sic puto optime eam rem declarandam esse, non, ut alii voluerunt, alteram lectionem fuisse adnotatam olim in margine archetypi Atticianae familiae. Sed de ea re postea accuratius disserendum est. Aggrediamur nunc ad alios Harpocrationis locos!

2. s. v. ἐκπολεμῶσαι· Δημοσθένης Φιλιππικοῖς ἀντὶ τοῦ εἰς πόλεμον καταστῆσαι, ὡς καὶ παρὰ Θουκυδίδῃ πολλάκις· ἐν μέντοι τοῖς Ἀττικιανοῖς διὰ τοῦ η γράφεται.

Illam autem scripturam per η quae teste Harpocratione familiae Atticiani propria est, ex omnibus codicibus solus Σ servavit: p. 10, 29 et p. 30, 29. Restat tertius locus s. v. Ναυκραρικά: Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Τιμοκράτους. μήποτε δὲ βέλτιον φέρεται ἐν τοῖς Ἀττικιανοῖς Ναυκρατιτικά (Ναυκρατητικά: lexici codex A et Aldina) ἵν' ᾖ ἀπὸ Ναυκρατιτικοῦ πλοίου ἢ Ναυκρατιτῶν ἐμπλεόντων. ἡ γὰρ Ναύκρατις τὸ παλαιὸν ἐμπόριον ἦν τῆς Αἰγύπτου. ἐὰν δὲ ᾖ ναυκραρικά, εἴη ἂν τὰ τῶν ἀρχόντων. ναυκράρους γὰρ τὸ παλαιὸν τοὺς ἄρχοντας ἔλεγον, ὡς καὶ ἐν τῇ ε' Ἡρόδοτος δηλοῖ. In Timocratea p. 703, 14 omnes codices praebent: Ναυκρατιτικὰ vel Ναυκρατητικά, quod habent Σ, Y, O, F, r, s. Apparet igitur Σ hoc loco iterum, sed una cum ceteris exemplaribus eam lectionem exhibere, quam Attici codicibus propriam esse Harpocration adnotat. Sed quomodo de consensu omnium codicum hoc loco iudicari debeat, postea videbimus; nunc tenendum est trium lectionum, quae apud Harpocrationem Atticianae appellantur, in codice Σ duas item esse, tertiae, quae duplex est, alteram quidem ibi inveneri.

Atque alterum novum argumentum inveniemus in codice F eiusque apographo B; ibi enim in fine orationis adversus epistulam Philippi habitae (or. XI) a librarii manu scriptum est: διώρθωται ἐκ (vel ἀπὸ) δύο Ἀττικιανῶν. Itaque necesse est correctiones in codice Marciano F et B sive in textu ipso superpositas sive in margine sub signo: γρ. adnotatas accuratius examinari et cum codicis Σ aliorumque lectionibus conferri. Nam cum et ea subscriptio et correctiones ab eadem

manu antiqua, non ab alia correctrice posterioris aetatis exaratae sint, (cf. Voemel. praefatio ad Demosthenis contiones p. 201.) profecto apparet et subscriptionem et eas varias lectiones iam in archetypo codicis F fuisse. Inde autem necessario colligitur in eo archetypo textum orationis undecimae collatum esse a librario cum exemplari quodam, quod ex recensione Atticiana oriri tum constabat. Neque ego dubitem, quin eae correctiones, quas eadem manus antiqua codicum F et B in oratione undecima hic et illic rarissime textui adscripsit, oriantur ex illo examplari Atticiano, quamquam non ignoro verbo διώρθωται plerumque accuratam emendationem totius textus a criticis et grammaticis factam significari. Verumtamen potest id ita explicari, ut putemus librarium archetypi non diligenter munere suo functum esse, immo adscripsisse tantummodo ex illo libro Atticiano, quod placuerit, cuius rationis emendandi vestigia habeamus in eis paucis emendationibus. Quae cum ita sint, nuper Lipsius orationis undecimae correctiones contulit cum lectionibus codicum, suo iure; sed in ea re erravisse videtur, quod putavit illud διώρθωται in F et B nonnisi ad varias lectiones in margine vel sub γρ postea adscriptas pertinere, non ad eas, quae etiam in textum ipsum receptae sunt. Juvat igitur orationis undecimae correctiones in F et B factas nunc referre (cf. Lipsius Abhandl. der sächsischen Ak. 1893/94).

§ 1. ἡμᾶς: Σ. Urbin. Aug.
η
ὑμᾶς Bav et, ut videtur, F.
ἀνεβάλετο: Σ Y O Aug.
λβ
ἀνεβαλετο: F.
ἀνελάβετο: Vind[1]. ἀνεβάλλετο: vulgo.
§ 3. ὑμῖν: Σ. Vind[1]. Rehd. Aug. 3.
υ ω
ἡμῖν F.
ἡμῖν: Urb. Pal. Vat; vulgo.
§ 6. χρήμασι: Σ, Vind[1] pr.
σι
χρήματα: F.
χρήματα: ceteri.

§ 7. ὑπὸ Σ Y O Urb. Aug. 1, alii
ὑ
ἀπὸ: F. ἀπὸ: vulgo.
§ 9. οὗτος: Σ, Aug. eisque familia.
αὑ
αυτὸς: F. αὑτὸς Y, O Urb.
σφαλερωτέραν: Σ, alii
ω
σφαλερότέραν: F.
σφαλερώτερον: Urb. Aug. 1.
§ 13: τὰ τοιαῦτα ὀνείδη (pro τὰς ἁμαρτίας, quod vulgo): Aug. F γρ. (non Bav.)
§ 19: ἔστιν οὐδέν: Σ, vulgo. οὐδὲν ἔστι: Σ γρ. a manu saec XI in margine et F γρ. Rehd. γρ. Vat [b]. Aug. 2.
δεινὸν: Σ, Aug. [1]. F γρ. Bav. Harl. α, Rhed. Vind 1.
θαυμαστὸν: F a pr. manu, vulgo.
ν
ὧν: Σ, plerique. ὡς: F.
§ 22. ἡμῶν: Σ. Aug. alii
η
ὑμῶν: F. ὑμῶν: Urb, vulgo.

Lipsius autem, qui hanc collationem fecit, nihil ex ea re de origine Atticiana codicis Σ ostendi posse censet, cum correctus F vel B non solum cum Σ, sed etiam cum aliis consentiat. Tamen eius iudicium mihi non rectum videtur esse. Nam si ceterorum codicum praeter Σ hic vel ille consentit cum correctionibus in F et B factis, quas ex duobus exemplaribus Atticianis promptas esse memoriae traditum est, inde sequitur, ut etiam ceteri codices ex familia Atticiana fluxerint, non, ut Lipsius censet, ex ea re concludi debet, codici Σ nihil commune esse cum recensione Atticiana. Prorsus enim faciunt eae correctiones cum pr. manu codicis Σ septies, semel cum Σ γρ. (saec. XI.), semel, quamquam contra Σ auctoritatem cum Vind., qui vel Lipsio iudice artissime cohaeret cum Σ. Restant tres loci, ubi eae lectiones correctae contra Σ omnino pugnant. Atque duobus locis cum Augustano
υ ω
contra Σ congruunt, tertio loco § 3 ἡμῖν correctum est secundum talem lectionem, quae in nullo ceterorum codicum in-

venitur. Itaque, si postquam haec constituimus, conici et concludi debet, verisimile est scribam Marciani F et Bavarici ex exemplari nobis ignoto Atticiano correxisse, quod ex correc-
υ ω
tione: ἡμῖν sequitur, cui quidem exemplari Atticiano imprimis et Σ et Augustanus similes sunt, quoniam cum eorum lectionibus plerumque F et B correcti consentiunt. — Quae cum ita sint, ego quidem imprimis ex testimonio Harpocrationis puto concludi posse codicem Σ fidelissimum apographon esse archetypi Atticiani. Praeterea, cum lectiones correctae codicum F et B saepius cum Σ consentiant, mea quidem sententia ex ea re aliquid praesidii accrescit origini Atticianae codicis Σ. Denique, quod eae correctiones etiam cum aliorum codicum lectionibus congruunt et quod ex Harpocrationis scripturis Atticianis una et in Σ et in Y, O, r, s, F invenitur, iam nunc ea suspicio nascitur, omnes nostros codices esse Atticianos, id est ex uno eodemque archetypo descriptos esse.

Cap. II. **De Useneri sententia.**

Denuo nuper Usenerus novam proposuit rationem, quae intercederet inter codices Demosthenicos. Cuius haec fere sunt lineamenta: omnium codicum tres classes esse: primam constare ex codicibus Σ eiusque affini Laurentiano Schultzii eamque appellat Usenerus veterem (ἀρχαίαν ἔκδοσιν), secundam esse vulgatam vetustiorem (ältere Vulgata), quae codices Y, P (vel Π), Urb. 113 contineret, tertiam denique Vulgatam recentiorem (jüngere Vulgata) ipsam in duas partes dividendam esse, ita, ut altera efficeretur ex Augustano eiusque comitibus: k, r, s, alteri tribuendi essent codices F, Bav, Φ.

Duobus autem locis scholiastae solis vir doctus nititur ad illam rationem confirmandam. Sed postea demum melius de eis locis iudicari potest, nunc aliam Useneri coniecturam prorsus novam respiciamus! Affirmat enim Usenerus veteris recensionis archetypum (ἀρχαίαν ἔκδοσιν) in qua Σ et Laur. sint, olim in Aristotelis bibliotheca fuisse, quae diu occulta post longos et varios errores ad Tyrannionem pervenisset, qui primus eius praeclaris copiis usus esset. Tyranni-

onem autem, quem constat Ciceronis aetate floruisse, non solum, id quod ex epistulis Ciceronis cognosci potest, cum Attico familiariter vixisse, sed etiam fuisse in familia clarissimi bibliopolae, praefuisse Attici officinae parti Graecae, quemadmodum Cornelius Nepos Latinae. Itaque illum Tyrannionem eos, quos invenisset, libros bibliothecae Aristotelis in usum Attici, eri sui, excussisse. In ea autem bibliotheca praeter permultas alias etiam fuisse optimam recensionem operum Demosthenis, ex quo fonte denique codex Σ derivatus esset. Quae omnia, quamquam scite excogitata sunt, tamen nimis nisa sunt coniecturis, praesertim si quis considerat, quam varia testimonia, quae ex fontibus maxime variis hausta sunt, Usenerus inter se connexuerit, ut hoc efficeret. Sed in ea re Usenerus iam contra se ipsum pugnare videtur, quod affirmat textum Augustani in universum eundem esse ac primae classis, scilicet, ubi grammatici interpolatoris manus deest et vigor nativus clarescit. Mirum re vera videtur esse, quod quamquam Augustanum in recensione vulgata iubet esse, tamen eius lectiones non abhorrere a codice Σ putat. Nam, quin re vera ille codex saepius cum Σ consentiat, ubi ceteri valde discedunt, dubitari non potest, ita, ut profecto clarescat eum aliquo modo affinem esse primae classi, scilicet ubi grammatici et rhetoris manus, quae imprimis in nonnullis orationibus, velut in Midiana, permultos locos corrigendo et interpolando prorsus mutavit, orationi exempli parcebat. Sic iam Useneri coniectura per se stare non videtur. Sed, ut ea tollatur et falsa esse videatur, opus est pluribus argumentis extrinsecus petitis. Si enim Usenero in ea re assentimur familiam Atticianam vel, ut alio nomine utar, codicem Σ, eius familiae apographon fidelissimum, singularem originem ducere ex Aristotelis bibliotheca, necessario sequitur, ut Σ eiusque comites alium atque ceteri codices archetypum habuerint, ut omnes corruptelae, quae inveniuntur communes inter Σ et alius recensionis codices, ad schedas Demosthenis ipsas recedant. Neque tamen haec ratio ullo modo probari potest, immo vero ostendam, si quidem hercle possum, omnes nostros codices ex una recensione, id est ex Attici officina, ad nostram memoriam

pervenisse. In promptu sunt nonnulla argumenta, iam diu a viris doctis allata, quibus communem archetypum omnium codicum olim fuisse probatur: in omnibus codicibus eaedem orationes Demosthenis insunt, quamquam satis constat Dionysium Halicarnassensem plures orationes legisse, quae nomine Demosthenis circumferebantur. Deinde oratio adversus Zenothemin scripta in omnibus codicibus in fine manca traditur; quin etiam in omnibus incipit ille defectus ab eodem verbo.

Num igitur verisimile est, si codex Σ ex prorsus alia recensione derivatus est atque ceteri, ab omnibus simul eam orationem mancam traditam esse? ille enim defectus eius generis est, ut nonnisi archetypi communis cuisdam detrimento declarari possit. Sed de archetypo communi postea demum accuratius loquendum est, cum singulae lectiones codicum conferentur et examinabuntur. Nunc alium testem adferam, cuius testimonium, quantum valeat ad verum iudicium de codicibus Demosthenis faciendum, nondum satis, ut opinor, respectum est.

Cap. III. **Quae ex Harpocratione de Demosthenis codicibus eruere et discere liceat.**

Notum est Harpocrationem scripsisse lexicon in decem oratores Atticos, quod nobis integrum servatum est duplici recensione, quarum altera nonnisi epitomen lexici praebet. Ab eo autem Harpocratione plus, opinor, quam centies lectiones ex Demosthenis orationibus promptae afferuntur, quarum altera pars consentit cum codicibus nostris, altera, quae est multorum locorum, magnopere discedit ab ois.

De nonnullis talium lectionum G. Dindorfius in praefatione editionis Oxoniensis disseruit easque in textum Demosthenis recepit, cum censeret credibile esse illas olim in Attici exemplaribus fuisse, sed in nostris codicibus omnibus correctas vel corruptas esse. Sed haec argumentatio mira est et iam a viris doctis vituperata. Alii, quamquam maximam partem, non omnes, lectionum Demostheuicarum lexici adnotaverunt, tamen falsa ratione usi aut ad arbitrium id, quod Harpocration exLibet, posuerunt aut secundum codicum auctoritatem neglexerunt. At fortasse Harpocrationi non multum tribuen-

dum est, quippe qui similem in modum atque rhetores plerique ex memoria non accurate Demosthenis locos in chartam coniecerit. Tamen, si quis ita censet, mihi cognoscere non videtur, quae indoles quaeque auctoritas lexici sit. Nam Harpocration tam praeclarus grammaticus est, ut non solum Demosthenis textum in omnibus, quos affert, locis ante oculos habuerit, sed etiam saepe diversas lectiones commemoret et inter eas eligat, ut iam vidimus antea eum ter scripturas exemplarium Atticianorum respexisse et de eis disseruisse. Attingam alium locum, ubi in lexico diversitas lectionum diligenter exponitur et declaratur:

s. v. ἀγυιᾶς dicit Harp: Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Μειδίου· „κατὰ τὰ πάτρια καὶ κνισᾶν ἀγυιάς." ἔνιοι μὲν ὀξύνουσι θηλυκῶς χρώμενοι, οἷον τὰς ὁδούς. βέλτιον δὲ περισπᾶν, ὡς ἀπὸ τοῦ ἀγυιέας. ἀγυιεὺς δέ ἐστι κίων εἰς ὀξὺ λήγων, ὃν ἱστᾶσι πρὸ τῶν θυρῶν etc.

Videmus igitur iam grammaticos veteres dissensisse, utrum melius ἀγυιάς an ἀγυιᾶς, utrum via sacra an stipes in Demosthenis Midiana intelligi debeat, ita', ut verisimile sit a singulis quoque codicibus utramque harum lectionum vel exhibitam vel repudiatam esse. — Praeterea iam Blassius paullo uberius ostendit de singulis orationibus, utrum genuinae essent necne, Harpocrationem quoque dubitationem adnotavisse, cum nonnunquam adscriberet: εἰ γνήσιος vel εἰ γνήσιος ὁ λόγος (Blass, attische Beredsamkeit 3 I, p. 52—58). Unde apparet Dionysii Halicarnassensis aliorumque criticorum quaestiones grammatico nostro non ignotas fuisse. Denique non habemus, cur non putemus Harpocrationem accuratissime, ubicunque lectiones Demosthenicas affert, codices et respexisse et descripsisse. Atque si nunc quaerimus, quae sit ratio inter familiam Atticianam et eos codices, quibus Harpocration usus est, recurrendum est ad tres locos, ubi a grammatico lectiones recensioni Atticianae propriae proferuntur. Quorum locorum duo sunt eiusmodi, ut lectiones codicum Atticianorum, quamquam commemorantur, tamen neque probentur neque repudientur: primum: proprium esse ei familiae ἐκπολεμῆσαι pro ἐκπολεμῶσαι scribere, deinde loco orationis Androtioneae valde dubio ibi duplicem lectionem exstitisse: s. v. ἀνελοῦσα denique

semel Harpocration, quamvis caute, laudat et agnoscit, quod Attici codices praebent: s. v. ναυκραρικά. μήποτε δὲ βέλτιον φέρεται ἐν τοῖς Ἀττικιανοῖς Ναυκρατιτικά. (vel Ναυκρατητικά lexici codex et Aldina) ὧν ἢ ἀπὸ Ναυκρατιτικοῦ πλοίου ἢ Ναυκρατιτῶν ἐμπλεόντων.

Ante μήποτε enim sensu supplendum est verbum aliquod verendi, ita, ut ea sententia hoc fere significetur: „haud scio, an melius vulgetur in Attici codicibus etc."

Tamen, quamquam ab Harpocratione lectiones codicum Atticianorum non repudiantur, semel agnosci videntur, non negligendum est in lemmate omnium trium locorum Harpocrationem id praebere, quod alienum est a recensione Atticiana. Ex ea re sine dubio cognosci potest Harpocrationem omnino alia codicum familia usum esse atque nonnisi in dubiis et ambiguis lectionibus exempla Atticiana adhibuisse et inspexisse. Itaque, uti iam dixi, prorsus perverse G. Dindorfius iudicavit eas lectiones, quas in lexico contra Σ auctoritatem exstant, ideo in textum recipiendas esse, quod credibile esset eas olim in archetypo familiae Atticianae fuisse. Nam Dindorfium id falso statuisse iam ea re docemur, quod Harpocrationis lectiones Demosthenicae saepissime dissentiunt vel a textu codicis Σ, si quidem antea recte probavimus Σ esse fidelissimum apographon ex archetypo Atticiano derivatum. Sed cum saepe etiam contra omnes nostros codices Harpocration pugnet, inde satis probabiliter, nisi fallor, demonstrari potest, primum: grammaticum Demosthenis lectiones ex alia editione hausisse, non ex ea, ad quam omnes nostri codices redeunt; deinde, id quod imprimis tenendum est, omnium codicum originem eandem esse. Si autem quaerimus, qualis et quaenam ea editio, qua Harpocration usus est, fuerit, haud scio, an probabilitate quadam eadem statuatur, quam Dionysius Halicarnassensis et Caecilius Calactinus legerunt et adhibuerunt, quorum utrumque constat multo plures orationes Demosthenicas legisse quam quae ad memoriam nostram pervenerint. Nam Harpocrationem quoque alias orationes nobis ignotas cognovisse, uno lexici loco apparet. Exstat enim s. v: δεκατεύειν. Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Μέδοντος περί τινος παρθένου λέγοντος οὕτως. „οὐ δεκατεῦσαι

ταύτην οὐδὲ μνῆσαι." Illa autem oratio contra Medontem habita, quae olim inter Demosthenis opera vulgabatur, nobis servata non est, cum in nullo codice exstet. Tamen intelligimus Harpocrationem eius non solum titulum novisse, sed etiam textum totum integrum legisse, quoniam ex medio tenore orationis locum illum de virgine affert.

Sed nunc de singulis Harpocrationis lectionibus disserendum est, ut, ubi eae a textu, quem omnes codices praebent, discrepant, eo magis appareat alia editione grammaticum usum esse, non ea, ex qua codices nostri fluxerunt. Itaque eas scripturas proferam, quae contra consensum omnium codicum nostrorum pugnant, ita. ut de singulis accuratius disputaturus sim:

1. s. v. ἀγυιᾶς. Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Μειδίου. „κατὰ τὰ πάτρια καὶ κνισᾶν ἀγυιᾶς. ἔνιοι μὲν ὀξύνουσι θηλυκῶς χρώμενοι, οἷον τὰς ὁδούς. βέλτιον δὲ περισπᾶν ὡς ἀπὸ τοῦ ἀγυιέας. ἀγυιεὺς δέ ἐστι κίων εἰς ὀξὺ λήγων, ὃν ἱστᾶσι πρὸ τῶν θυρῶν etc.

Harpocration igitur defendit lectionem ἀγυιᾶς diserta et accurata interpretatione contra eos criticos et editores, qui ἀγυιάς malebant ponere. Quod rem ipsam attinet, Harpocrationem vix verum vidisse puto. Nam quamquam primo obtutu magis arridere videtur, si quis iubet stipites incendi quam vias κνισᾶν, tamen non dubium est, quin in viis ubique arae fuerint, quae incendi legibus iuberi poterat. Porro, id quod summum est, Cobet (var. lect. p. 222) exempla attulit, quibus profecto probavit usum: κνισᾶν ἀγυιάς: Aristoph. equ. 1320: τὴν ἔχων φήμην ἀγαθὴν ἥκεις, ἐφ' ὅτῳ κνισῶμεν ἀγυιάς; et Aristoph. av. v. 1231/32: μηλοσφαγεῖν τε βουθύτοις ἐπ' ἐσχάραις κνισᾶν τ' ἀγυιάς.

Sed nostra plus interest omnes codices ἀγυιάς praebere, nullum ἀγυιᾶς quod Harpocration, cum in lemmate posuerit, in sua editione Demosthenis sine dubio legit.

2. Ἀκή (sic codices lexici; corr. Maussacius et Dindorfius: Ἄκη). πόλις αὕτη ἐν Φοινίκῃ. Δημοσθένης ἐν τῷ πρὸς Κάλλιππον etc.

p. 124, 26 omnes codices habent: Θρᾴκην. Locus exstat in oratione Apollodori contra Callippum habita, ubi narratur

Lyconem nummos credidisse Megaclidi eiusque fratri, qui Acae, in oppido Phoeniciae habitabant: ἔκδοσιν ἐκδοὺς εἰς Ἄκην. In archetypo codicum librarius pro Ace posuit Thraciam terram; non debet dubitari, quin veram lectionem praebeat Harpocration, cum Thraria nimis incerta significatio sit de domicilio eius Megaclidis, cuius testimonio postea orator utitur. Itaque recte iam Dindorfius Ἄκην pro Θρᾴκην restituit.

3) Ἀλαβαστοθῆκαι. αἱ θῆκαι τῶν ἀλαβάστων, ἃς ἐν τῇ συνηθείᾳ μυροθήκας καλοῦσι. Δημοσθένης ἐν τῷ παραπρεσβείας: p. 415, 5 codices omnes habent: ἀλαβαστροθήκας. In archetypo codicum littera ρ non arbitrio vel errore inserta est, sed secutus est editor certam quandam rationem grammaticam, quae, utrum vera sit necne, egoquidem in suspenso relinquam. Dindorfius quidem et Blassius restituerunt ex lexico ἀλαβαστοθῆκαι, quae forma magis secundum pronuntiationem Atticam esset. (cf. Anecdota Graec. ed. Becker: p. 206 et 375.)

4. Ἀνελοῦσα γὰρ τὸν νόμον τοῦτον, ἐχειροτόνησεν αὐτῇ. De eo loco: p. 599, 23 iam pridem egimus, ita, ut appareret eam lectionem, quam Harpocration in lemmate praebet, in nullo codice exstare. Mihi lexici textus multo propius ad verum accedere videtur quam codicum, qui partim: ἐχειροτόνησεν αὐτήν, partim ἐχ. λαβοῦσα αὐτῇ exhibent. Sic scholiasta quoque ad hunc locum eandem duplicem lectionem vulgatam esse adnotat. Recte mea quidem sententia sanavit locum Lipsius: ἀνελοῦσα γὰρ τὸν νόμον, τοῦτον ἐχειροτόνησεν αὐτή (id est; βουλή neglecta lege, quae hoc fieri vetat, ipsa sibi administratorem rerum navalium elegit).

6. Ἀνθυπώμοσαν. ἀντὶ τοῦ ὑπεῖπον τῇ ὑπωμοσίᾳ. Δημοσθένης κατ' Ὀλυμπιοδώρου: p. 1174, 9, ubi omnes codices ἀνθυπωμόσαντο habent. Videntur et activa e media forma aoristi in usu fuisse, quamquam nimirum exempla eius verbi rarissimi non multa sunt. Formam activam aoristi agnoscit praeterea grammaticus in Bekkeri Anecdotis p. 404, 17 (ἀνθυπώμοσα), quo testimonio Harpocrationis auctoritas fulciri videtur, nisi

forte ille grammaticus Hippocrationem exscripsit, cum eisdem fere verbis utatur ad interpretationem.

7. s. v, Ἀντίθεσις. ut illam figuram rhetoricam exemplis illustret, grammaticus duos locos ex Demosthene affert. quorum alterum ex Midiana: ἐν τῷ κατὰ Μειδίου ἀπὸ τοῦ· „ὁ μέν γε ὑπὸ φίλου ἕως (φιλέως plerique codices lexici; φίλου ἕως ex coniectura Gronovii, etiam ὑπὸ Φιλέως γνωρίμου in nonnullis codicibus inveniri, neque a Bekkero neque a Dindorfio adnotatur). „βαδίζειν χορηγοῦντι.“ p. 538, 10 codices Demosthenici omnes pro φίλου tradunt γνωρίμου. Nimirum difficillime per se disceptari potest, utrum praeferendum sit φίλου an γνωρίμου; tamen puto γνωρίμου postea pro φίλου scriptum esse, quia sic ratiocinabatur corrector: numquam fuisse amicum Boeotum, sed notum tantummodo, quem Euaeon in conventu notorum hominum necavisset: ἐναντίον ἓξ ἢ ἑπτ' ἀνθρώπων ἐπλήγη, καὶ τούτων γνωρίμων, quae verba nostram sententiam excipiunt, ita, ut fortasse librarius iam verbis sequentibus: καὶ τούτων γνωρίμων ad correctionem ὑπὸ γνωρίμων commotus sit.

7. Ἄξονι. Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτους. ὡς ἐν τῷ ἄξονι εἴρηται: p, 629, 21 verba sunt recitata ex lege quadam, quod litis instrumentum, ut elucet, ab Harpocratione agnoscitur; codices habent plerique: ὡς ἐν τῷ ἄξονι ἀγορεύει; A. r, s: ἀπαγορεύει. Quae genuina lectio sit, per se vix diiudicari potest.

8. Ἀπόκρισις: Δημοσθένης κατ' Αἰσχίνου. „ἀπόκριναι γάρ δεῦρο παρελθών μοι: p. 378, 4: codices omnes habent: ἀπόκριναι γάρ δεῦρο ἀναστάς μοι. Adverbio δεῦρο ne quis abusus sit, ut censeat Harpocrationis παρελθὼν praeferendum esse; sed δεῦρο sensu coniungendum est cum ἀπόκριναι, ut docet Weilius coll. exempl. Plat. Apol. 24 C: καί μοι δεῦρο ὦ Μέλητε, εἰπέ. ἄλλο τι ἢ περὶ πολλοῦ ποιεῖ, ὅπως ὡς βέλτιστοι οἱ νεώτεροι ἔσονται; et Cratyl 422 C: εἰ δὲ τοῦτο οὕτως ἔχει, ὥς μοι δοκεῖ ἔχειν, δεῦρο οὖν συνεπίσκεψαι μετ' ἐμοῦ!“ Dubium igitur est, utra lectio praestet, codicum an Harpocrationis, quem sequuntur Suidas (s. v. ἀπόκριναι) et grammaticus in Bekkeri Anecdotis p. 429. Libanius

contra, qui hunc locum ex Demosthene sibi arripuit et in declamatione quadam posuit, cum codicibus legit! ἀναστάς: Hermes IX, 60, 7.

9. Ἀσυνθετώτατον. Δημοσθένης ἐν τῷ παραπρεσβείας ἐπ' ὄχλου ἔταξε τοὔνομα. ἤτοι ἀντὶ τοῦ ἀπιστότατον καὶ ἀβεβαιότατον καὶ πίστεις οὐ τιθέμενον διὰ τὸ ἀβέβαιον. ἢ ἀνομόλογον καὶ ἀσύμφωνον. ὁμολογίαι γὰρ αἱ συνθῆκαι. ἢ ἀντὶ τοῦ ἀσυνετώτατον, ὅπερ ἐστὶν ἀνοητότατον ἢ ἀντὶ τοῦ ὃν μάλιστα οὐκ ἂν δύναιτό τις συνιέναι, τί ποτε φρονεῖ. Ὅμηρος· σὺ δὲ σύνθεο καί μευ ἄκουσον. Locus Demosthenis est p. 383, 5 ubi omnes fere codices habent: ἀσυνετώτατον: Σ, Y, t, v, u, Q (Φ), F, B, r, corr. O; Augustanus et Harl. praebent Harpocrationis ἀσυνθετώτατον. Harpocrationem negligenter protulisse hunc locum sane ne cogitari quidem potest, cum inter illas permultas voces, quibus grammaticus significationem vocabuli obscuri et inusitati describit, etiam ἀσυνετώτατον sit. Praeterea idem ἀσυνθετώτατον tuetur grammaticus in Bekk. Anecdotis p. 455, 17. Immo sine dubio statuendum est in recensione codicum ἀσυνετώτατον interpolatum esse lectoris gratia, sed ab elocutione Demosthenis alienum. Hoc unum praeterea monendum est: quod codex Augustanus ἀσυνθετώτατον habet, ne quis putet eum ex alio fonte ac ceteros codices fluxisse. Nam cum non dubium sit, quin in Augustano vel iam in eius archetypo textus a grammatico et satis erudito homine exaggeratus sit, facile potuit librarius aliunde eam lectionem promere; haud scio, an ei notum fuerit lexicon aliquod, in quo de eo verbo agebatur. Ceterum et Dindorfius et Blassius recte ex Harpocratione in textu Demosthenis ἀσυνθετώτατον restituerunt.

10. Αὐτόχθονες οἱ Ἀθηναῖοι. Δημοσθένης ἐν τῷ παραπρεσβείας. „μόνοι γὰρ τῶν πάντων (ἁπάντων lexici codex F) αὐτόχθονες ὑμεῖς ἐστέ.“ p. 424, 29 codices omnes omittunt τῶν ante πάντων aut ἁπάντων. τῶν in communi eorum archetypo negligentia omissum videtur esse; nam maior mea quidem sententia est vis dicendi, si τῶν apponitur. Idem puto librarium codicum Aug, k, r, s archetypi sensisse, qui, ut saepissime, sic hoc

quoque loco vim orationis auxit, cum suo Marte ponat: τῶν ἁπάντων.

11. Ἀφεὶς καὶ ἀπαλλάξας. Δημοσθένης ἐν τῇ ὑπὲρ Φορμίωνος παραγραφῇ. „ἵν' ἀπαλλαγῇ τις αὐτῷ γένηται παρ' ὑμῶν κυρία.“

p. 944, 16 codices Demosthenis: παρ' ὑμῖν. Per se utrumque tolerari potest; tamen mihi magis arridet Harpocrationis: παρ' ὑμῶν; neque enim id spectat orator, ut apud iudices, sed ut ab eis veniam reus impetret. Dindorfium fugit ea discrepantia inter codices et Harpocrationem; Blassius, qui primus animadvertit, hic codices potius sequitur.

12. Βασκαίνει. Δημοσθένης ἐν τῷ ὑπὲρ Κτησιφῶντος.... καὶ ἐν τούτοις βάσκανον δὲ καὶ πικρὸν καὶ κακοήθες οὐκ ἔστι πολίτευμα ἐμόν: p. 263, 1: codices ibi praebent: οὐδέν ἐστι πολίτευμα ἐμόν. Ambiguum est, utra lectio praeferenda sit. Sed nostra plus interest cognoscere Harpocrationem ne hoc quidem loco cum codicibus consentire.

13. Διεγγύησιν. ἀντὶ τοῦ κατάστασιν ἐγγυητῶν Δημοσθένης κατὰ Τιμοκράτους. ἐν δὲ τῷ κατὰ Νεαίρας, εἰ γνήσιος ὁ λόγος, φησὶν „ἐγγυηθεῖσα (sic libri Harpocrationis) ὑπὸ τοῦ Στεφάνου.“

In oratione Timocratea p. 724, 6 nonnulli libri Demosthenis habent ἐγγύησιν. Forma ἐγγυηθεῖσα, quam Harpocrationis codices praebent, hoc loco nullo modo tolerari potest. Nam, quamquam notio vadimonii faciendi hoc loco non alienum esset, tamen, cum forma activa verbi ἐγγυᾶν nihil significet nisi: „alicui aliquid in manus dare“, de forma media ἐγγυᾶσθαι, quae sane habet eum sensum iudicialem, ut ita dicam, non possit derivari participium aoristi passivi ἐγγυηθεῖσα, recurrendum est ad codicum: διεγγυηθεῖσα. Verbum διεγγυᾶν enim ponitur, si quis vadimonio facto alium liberat a vinclis aut a pecunia solvenda (cf. Meier-Schömann-Lipsius: der attische Process p. 710), quae significatio in nostrum locum optime quadrat, cum Neaera Stephano eiusque amicis vadibus liberata sit. Itaque puto ne Harpocrationem quidem ἐγγυηθεῖσα, sed διεγγυηθεῖσα scripsisse, quod vitio codicum lexici corruptum sit in

ἐγγυηθεῖσα, praesertim cum grammaticus eum locum afferat in lemmate: διεγγύησιν. Cum Dindorfio igitur ex Demosthene in lexico corrigendum est: διεγγυηθεῖσα.

14. Ἔθνος· οὐ μόνον τὸ μέγα καὶ πολυάνθρωπον γένος, ἀλλὰ καὶ ἰδίως μέρος τι τῆς πόλεως· Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτους· „εἴ τις ὑμᾶς ἔροιτο, τί πονηρότατον νομίζεται τῶν ἐν τῇ πόλει πάντων ἐθνῶν, οὔτε τοὺς γεωργοὺς οὔτε τοὺς ἐμπόρους οὔτε τοὺς ἐκ τῶν ἀργυρείων οὔτε τῶν τοιούτων οὐδὲν ἂν εἴποιτε.“

p. 668, 10 codices omnes pro νομίζεται habent: νομίζετε, quod magis correctum quam genuinum videtur esse, quo melius respondeat verbo: εἴποιτε, nisi forte librarius communis archetypi codicum pronuntiatione deceptus pro syllaba ται posuit τε. Itaque sive hanc sive alteram rationem sequimur, νομίζεται videtur praeferendum esse codicum lectioni: νομίζετε.

15. Εἰσφρήσειν. ἀντὶ τοῦ εἰσάξειν, εἰσδέξεσθαι. Δημοσθένης ἐν η' Φιλιππικῷ: p. 93, 18 codices omnes medii formam exhibent, εἰσφρήσεσθαι. Non debet dubitari, quin Harpocration in suo libro activum legerit; nam si medium legisset, potius, ut interpretaretur, formam εἰσάξεσθαι posuisset. Praeterea invenimus formam activam futuri in Bekkeri Anecdotis p. 244 et in Aristophanis vesparum versu 892. Itaque, cum ne p. 93, 18 quidem medium necessario requiratur neque praestare videatur, potius sequamur Harpocrationis auctoritatem, qui Demosthenem ibi εἰσφρήσειν scripsisse testatur!

16. Ἐκαλίστρουν. Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Εὐέργου καὶ Μνησιβούλου, εἰ γνήσιος. Ἰακὸν δ' ἐστὶ καὶ τάχ' ἂν εἴη Δεινάρχου. καὶ οὗτος γὰρ ξενικοῖς ὀνόμασι χρῆται: p. 1157, 12. Quid? quod libri Demosthenis omnes non hoc verbum singulare, sed ἐκάλουν praebent? Non dubium est, quin iam in eorum archetypo hoc glossema fuerit. Rectissime igitur editores ἐκαλίστρουν ex Harpocratione in textum Demosthenis revocaverunt.

17. Ἐκδεξάμενος. Δημοσθένης ὑπὲρ Κτησιφῶντος. „ἐκδεξάμενος καὶ γράψας.“ ἐκδέξασθαί ἐστι τὸ παρ' ἑτέρου λαβόντα αὐτὸν ἐγχειρεῖν τὸ δεύτερον. ἐπισκεπτέον δέ, πῶς ἔχει τὸ ἐν ε' Φιλιππικῷ

λεχθὲν ὑπὸ τοῦ ῥήτορος· „καὶ τὸ δοκεῖν ἐκδέξασθαι τῶν ἐκείναις (sed Harp. codex N. ἐκείνοις) πεπραγμένων.“ Dicit grammaticus locum orationis de pace habitae: p. 61, 24, ubi codices omnes: ἐκδέχεσθαί τι τῶν ἐκείνοις πεπραγμένων habent. Sed elocutio, quam lexicon praebet, multo audacior et liberior est, cum genetivus partitivi vim habeat, ita, ut sensu: τι vel μέρος τι suppleri debeat. Tamen mihi non aliena videtur esse haec elocutio a Demosthenis vi dicendi, praesertim cum aoristus hoc loco longe praestet infinitivo praesentis. Demosthenes enim dicit fortasse Argivos aliosque timere, ne Athenienses ideo, quod legatos ad Lacedaemonios miserint, subito statuerint et coeperint res Lacedaemoniorum excipere. Qui sensus optime efficitur, si aoristum ἐκδέξασθαι in textu reponimus. Attamen, si cui ea structura verborum nimis audax videtur esse, quam quae tolerari possit, is saltem concedet ne Harpocrationi quidem verba tam facilia ad explicandum fuisse, quoniam de interpretatione dubitat: ἐπισκεπτέον δέ, πῶς ἔχει etc. Quem, si compositionem verborum legisset, quae in codicibus Demosthenicis exstat, vix credibile est interpretationem eius loci in suspenso relicturum fuisse. Itaque id mea quidem opinione negari non debet, Harpocrationem re vera ἐκδέξασθαι τῶν ἐκείνοις πεπραγμένων apud Demosthenem legisse.

18. Ἐκλώζετε. Δημοσθένης κατὰ Μειδίου. κλωσμὸν ἔλεγον τὸν γιγνόμενον ἐν τοῖς στόμασι ψόφον, ᾧ πρὸς τὰς ἐκβολὰς ἐχρῶντο τῶν ἀκροαμάτων, ὧν οὐχ ἡδέως ἤκουον.

Tota oratione in codicibus frusta hanc vocem singularem quaeres; potest tantummodo ibi exstitisse, ubi Demosthenes de adversario a popolo Atheniensium exsibilato narrat: id est p. 586, 17; sed ibi praebent codicum Σ, Y, O, P (ἀρχαία et vetustior δημώδης ἔκδοσις Useneri): ἐσυρίττετε καὶ ἐκεκράγετε, ceteri: ἐσυρίττετε omissis καὶ ἐκεκράγετε. Cum certo certius sit hoc loco eodem modo atque antea saepius sollemnia verba pro inusitatis posita esse, iure editores ἐκλώζετε in orationem Demosthenis receperunt.

19. Ἐκ προαγωγῆς. (codices D, E: προσαγωγῆς; N: παραγωγῆς) ἀντὶ τοῦ πρὸς ἀνάγκην καὶ οὐκ ἐκ φύσεως οὐδ' ἁπλοϊκῶς.

ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν οὐχ ἡμένων, ἀλλ' ἐκ προβολῶν προηναγκασμένων δεσμοῖς. Δημοσθένης κατ' Ἀριστοκράτους.

Harpocration sine dubio ἐκ προαγωγῆς legit et interpretari voluit, etiamsi duo codices eius praebent: προσαγωγῆς, cum postea eandem syllabam προ scribat in προβολῶν et προηναγκασμένων. Tamen eius verba partim tam obscura sunt, ut intelligi non possint; immo videtur aliquid excidisse post verbum ἁπλοϊκῶς. Ex sequentibus enim verbis hoc cognoscitur grammaticum voluisse de origine eius metaphorae disserere. Porro videtur ille in syllaba προ vim temporalem agnovisse, quod sequitur ex interpretatione per προηναγκασμένων. Sed quamquam dubium est, quo iure et qua probilitate Harpocration eam interpretationem proposuerit, tamen vix negari debet eum re vera ἐκ προαγωγῆς in codice, quem adhibuit, legisse. Scite autem Reiskius ea verba interpretari conatus est, qui, cum cogitaverit de lenocinio meretricio, putavit oratorem id voluisse dicere: Charidemum non ab initio Atheniensibus amicum esse, sed sicut meretricem donis et blandis verbis coactum. Attamen cum appareat Charidemum, de quo Demosthenes loquitur, non donis et blandimentis, sed vi coactum esse erga Athenienses amicum se praebere, haec Reiskii interpretatio iam stare posse non videtur. Sed quam recte cum omnibus codicibus Demosthenicis in Aristocratea p. 678, 19 ἐκ προσαγωγῆς ponatur, siquidem testimonio Harpocrationis aliquid tribuendum est, mihi dubium est. Nam cum ἐκ προσαγωγῆς saepius inveniatur apud scriptores Graecos, ita ut aliquid ἐκ προσαγωγῆς fieri dicatur, quod accessione fit sensim accrescente, vix puto grammaticum eam elocutionem usitatam interpretaturum fuisse, etiamsi eam in exemplari suo Demosthenico legisset. Itaque, quamquam id mihi satis certum videtur esse Harpocrationem re vera contra omnium codicum consensum invenisse in Demosthenis oratione: ἐκ προαγωγῆς, tamen de sensu eius ἐκ προαγωγῆς quidquam certi proferre nondum audeo.

20. Ἐνδεκάζοντας. ἀντὶ τοῦ ἐνεορτάζοντας, ἐν τῷ αὐτῷ τὴν δεκάτην ἄγοντας. Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Θεοκρίνου.

p. 1335, 7 in nullo codicum, qui eam orationem omnino tenent, (deest enim in Zosimi classe: Y, P, O) invenitur verbum: ἐνδεκάζοντας, sed praebent Σ, F, Q (Φ): ἐνδικάζοντας, quod sine dubio iam in communi archetypo corruptum est ex ἐνδεκάζοντας. cum verbum ἐνδικάζω neque in usu linguae Graecae sit neque, si putamus id hoc loco ἅπαξ λεγόμενον esse, significatio ea quadret in totum tenorem. Itaque librarius archetypi codicum A, k, r sibi excogitavit et posuit: συνενδεκατίζοντας. Sed in hoc singulari verbo, quod nusquam alibi apud scriptores Graecos invenitur, apparet syllabam συν abundare, cum testimonio Harpocrationis ἐνδεκάζω iam significet eodem loco cum aliquo ferias agere.

21. Ἐν Φρεατοῖ . . . . . καὶ μετ' ὀλίγον (Aristocrateae p. 645) φησίν· ἤγαγε τοὺς δικάσοντας, οἱ προσελθεῖν οἷόν τε ἐκείνῳ, τῆς χώρας ἀποδεῖξας τόπον τινὰ ἐν Φρεατοῖ καλούμενον ἐπὶ θαλάττης. εἶθ' ὁ μὲν ἐν πλοίῳ προσπλεύσας λέγει, τῆς γῆς οὐχ ἁπτόμενος, οἱ δ' ἀκροῶνται καὶ δικάζουσιν ἐπὶ τῆς γῆς. κἂν μὲν ἁλῷ, τὴν ἐπὶ τοῖς ἑκουσίοις φόνοις δίκην ἔδωκε δικαίαν. ἐὰν δὲ ἀποφύγῃ, ταύτης μὲν ἀθῷος ἀφίεται, τὴν δὲ ἐπὶ ἑτέρῳ φόνῳ φυγὴν ὑπέχει. p. 646, 7—14.

Compluribus rebus Harpocration dissentit a codicum consensu.

a) codices: τὴν μὲν ἐπὶ . . . δίκην ἔδωκε δικαίως. Sed illud adverbium, quod alibi Demosthenis elocutionem decet, hoc loco profecto alienum esse videtur. Neque enim hic suum ipsius indicium orator profert, quod illud δικαίως alibi, si in fine totius sententiae exstat, significat, sed dicit reum poenam subire iustam, id est poenam legibus constitutam.

b) Harpocration: τὴν δὲ ἐπὶ ἑτέρῳ φόνῳ φυγὴν ὑπέχει. Alia autem caedes, (ἑτέρῳ!), quam Demosthenes dicit, ea est, cuius reus iam antea damnatus erat, ita, ut novae occisionis ab ipso commissae causa more exsulis se defendere cogatur. Id enim verbis: ἐπὶ ἑτέρῳ φόνῳ significatur. Sed codices Demosthenis praebent: ἐπὶ τῷ προτέρῳ φόνῳ (sic vulgo). Mihi non dubium est, quin iam in archetypo eorum, ut lectori sententia ab initio perspicua sit, correctum sit προτέρῳ pro ἑτέρῳ.

c) omnes codices habent: ἐπὶ θαλάττῃ, non genetivum, quem apud Harpocrationem legimus.

d) codices habent: ἐν τῇ γῇ pro ἐπὶ τῆς γῆς, quod in lexico exstat. Quibus duobus locis, quamquam codicum et lexici lectiones eandem speciem probabilitatis habent, tamen nunc iam licet fortasse maiorem auctoritatem Harpocrationis sequi, praesertim cum primo et secundo loco sine dubio eius scripturae multo magis genuinae videantur esse. Itaque malim in editionibus totum locum ita scribi, ut eum invenimus apud grammaticum nostrum.

22. Ἐξένιζε. Δημοσθένης ἐν τῇ πρὸς Εὐβουλίδην ἐφέσει· „διαβεβλήκασι γάρ μου τὸν πατέρα, ὡς ἐξένιζε: p. 1304, 6 codices habent pro imperfecto aoristi tempus: ἐξένισε, quod iam Dindorfius repudiavit Harpocratione teste, cum aoristus in hoc tenore tolerari non possit. Agitur enim de patre accusotoris, quem per totam vitam barbarum fuisse, non subito factum esse adversarii falso affirmaverant. cf. praeterea eius orationis p. 1304, 10 et p. 1304, 17(ξενίζειν et τὸν ξενίζοντα). Etiam Libanii testimonio videtur imperfectum defendi, qui in argumento eius orationis: ὁ δὲ πατὴρ ἐξένιζε τῇ γλώττῃ, αἰχμάλωτος γενόμενος καὶ πραθείς.

23. Ἐπὶ Θρασύλλῳ. Δημοσθένης ἐν τῇ πρὸς Πανταίνετον παραγραφῇ φησι. „τὸ ἐπὶ Θρασύλλῳ.“ Ἀττικὸν ἔθος ἀντὶ τοῦ ἐπὶ τῷ Θρασύλλου μνήματι: p. 973, 24 codices omnes: ἐπὶ Θρασύλλου, quod Dindorfius mutavit in dativi formam Harpocrationem secutus. Codicum lectionem puto sic intelligendam esse, ut sensu subaudiendum sit μνήματι. Sed cum Harpocration diserte ἐπὶ Θρασύλλῳ Atticum morem loquendi esse testetur, non habemus, cur codicum lectionem non spernamus.

24. Ἐπιτρέπειν (sic epitome probabiliter cum de alia causa tum secundum ordinem litterarum, ceteri codices lexici: ἐπιτροπήν). Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀφόβου α' οὕτως ἤρξατο· „εἰ μὲν ἐβούλετο Ἄφοβος, ὦ ἄνδρες δικασταί, δίκαια ποιεῖν περὶ ὧν δια-

φερόμεθα τοῖς τε οἰκείοις ἐπιτρέπειν.“ ἀντὶ τοῦ διαιτητὰς αὐτοὺς αἱρεῖσθαι. ὅθεν καὶ Μενάνδρου δρᾶμα· Ἐπιτρέποντες. Λυσίας δ' ἐν τῷ πρὸς τοὺς ἐπιτρόπους τῶν Βόωνος παίδων· „ἐπέτρεψεν“ εἶπεν, ἀνδρασιν.“ ἀντὶ τοῦ ἐπιτρόπους κατέστησεν. Harpocration igitur singularem usum verbi ἐπιτρέπειν exponit, cum praeter Demosthenem Menandri comoediae titulum et ex Lysia locum quendam proferat. Atque re vera ἐπιτρέπειν tam unde positum eam significationem habere, quam Harpocration laudat, etiam Demosthenis loco apparet, siquidem ibi ita legimus, ut in lexico verba exstant. Sed p. 813, 1 et 2 in codicibus omnibus Demosthenicis ea sententia prorsus aliter confirmata est, ita ut propria vis verbi ἐπιτρέπειν deleta sit: ἢ περὶ ὧν διαφερόμεθα τοῖς οἰκείοις ἐπιτρέπειν. Inde enim cognoscitur librarium archetypi communis codicum Demosthenicorum eam significationem propriam verbi, quam Harpocration agnoscit, non iam intellexisse. Quare, cum sibi persuasisset locum esse corruptum, studuit eum coniectura sanare, sed totam sententiam foedissime interpolatam reddidit. Tamen fortasse sunt, qui offendantur, quod, si eam structuram verborum, quam Harpocration habet, sequimur, duo enuntiata more epico sola particula τε, omisso καὶ coniuncta sunt. Ille enim usus, qui apud Thucydidem frequentior est, videtur Demosthenis aetate iam prorsus evanuisse. Sed, cum in orationibus, quae sine dubio a Demosthene ipso scriptae sunt, frusta eius generis exempla requiras, in nonnullis earum, quas Demosthenis esse plerique negant, illud τε, quod duo membra coniungit, invenitur, velut p. 1019, 1 in oratione adversus Boeotum de dote materna habita et p. 1133, 24 in oratione secunda contra Stephanum habita. Itaque apparet apud aequales quidem Demosthenis eum usum particulae τε notum fuisse, cuius vestigia in orationibus non genuinis etiam nunc agnoscimus, fortasse ideo, quod eae rhetorum et grammaticorum studiis non ita inquinatae sunt. Mihi igitur non videtur improbabile esse etiam Demosthenem per τε singula enuntiata connexuisse, sed postea eam structuram a librario communis archetypi codicum nostrorum mutatam esse. Itaque Harpocrationis lectio videtur codicum lectioni praeferenda esse et miror, quod editores eam vix animadverterunt.

25. Ἔφεκτος τόκος. (ἐφεκτός: codex B Harpocrationis et Aldina) ὁ ἐπὶ τῷ ἕκτῳ τοῦ κεφαλαίου. Δημοσθένης ἐν τῷ ὑπὲρ Χρυσίππου: p. 914, 16 omnes codices: ἐφεκτός (accentu caret Σ, sed etiam ibi paullo antea: ἐφεκτοί). Dindorfius correxit secundum Harpocrationem: ἔφεκτος et ἔφεκτοι.

26. Καλαύρεια. Δημοσθένης ἐν τῇ περὶ τῆς ἑαυτοῦ καθόδου ἐπιστολῇ (codices Demosthenici titulum huius epistulae habent: περὶ τῆς ἰδίας καθόδου). p. 1472, 10 libri omnes: Καλαύρια, quod Dindorfius ex Harpocratione correxit in Καλαύρεια. Formam Καλαυρεια praeterea habet Stephanus Byzant., s. v. Dittenb. sylloge nr. 326 praebet: Καλαυρέᾳ.

27. Κεγχρεών. Δημοσθένης ἐν τῇ πρὸς Πανταίνετον γραφῇ (παραγραφῇ: recte Aldina lexici). „κἄπειτ' ἔπεισε τοὺς οἰκέτας τοὺς ἐμοὺς καθέζεσθαι εἰς τὸν κεγχρεῶνα: p. 974, 16 libri omnes omittunt κἄπειτα; sed Dindorfius id restituit ex Harpocratione, et sine dubio hoc loco, ubi pars libelli accusatorii recitatur, desideratur particula, qua haec pars ad antecedentem annectitur. Deinde libri omnes non aoristum, quem Harpocration, sed καθίζεσθαι praebent. Blassius suo iure καθέζεσθαι ex lexico in textum Demosthenis recepit, cum profecto in libello significari videatur servos subito officinam occupavisse, non, eos semper ibi versatos esse. Denique quod Harpocration legit: ἔπεισε, codices habent: πείσας, concedendum est, hoc loco codicum lectionem: πείσας multo praestare. Nam quamquam per se ἔπεισε nimirum vituperari non potest, tamen totum tenorem magis participium decet. Incipit enim libellus accusatorius a verbo ἔβλαψέ με (p. 973, 1); tum autem singulis partibus, quarum quaeque ab oratione ipsa interrumpitur, sequitur enumeratio omnium rerum, quibus Pantaenetus accusatori nocuerit. Cuius enumerationis partes inter se semper participii forma excipiuntur, ita, ut summum verbum: ἔβλαψέ με subaudiendum sit. Itaque codicum lectio: πείσας mihi probabilior est quam Harpocrationis: επεισε.

28. Κυρσίλον· Δημοσθένης ἐν τῷ ὑπὲρ Κτησιφῶντος· „τὸν μὲν ταῦτα συμβουλεύσαντα Θεμιστοκλέα στρατηγὸν ἑλόμενοι, τὸν δὲ

ὑπακούειν ἀποψηφισάμενον Κορσίλον καταλιθώσαντες: p. 296, 9 libri omnes praebent, alii ante, alii post ἀποψηφισάμενον verba: τοῖς ἐπιταττομένοις. Quamquam fieri potuit, ut in codice Demosthenico, ex quo Harpocration hausit, verba: τοῖς ἐπιταττομένοις errore scribae omitterentur, tamen hoc verisimile non est. Immo puto in archetypo communi codicum nostrorum ab interpolatore haec verba superscripta esse, unde factum est, ut in codicibus partim ante partim post verbum ὑπακούειν posita sint.

29. Λευκονοιεύς· Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀφόβου p. 818, 3 codices omnes: Λευκονοεύς. Dindorfius secundum Demosthenis codices correxit in lexico: Λευκονοεύς, qua in re auctorem affert Boeckhium (C. J. I, p. 151). Tamen dubito, quo iure Boeckhius formam Λευκονοιεύς falsam esse statuerit. Primum enim non dubium est, quin Harpocration re vera legerit: Λευκονοιεύς, quod cognosci potest ex eius verbis sequentibus: Λευκόνοιον δῆμος τῆς Λεοντίδος, ὥς Διόδωρός φησιν. Deinde inscriptionibus docemur utramque formam: et Λευκονοεύς et Λευκονοιεύς in usu fuisse, quamquam Λευκονοιεύς vetustior videtur esse, ideo, quod frequentior est in inscriptionibus vetustioribus anno Euclidis, velut: C. J. A. I, 238: Σά[τυρος] Λευκονοιεύς; est ea inscriptio anni a. Chr. n. 442; item C. J. A. I, 140 in fine: Εὐ]θίου Λευκονοιεὺς ἐγρα[μμάτευε] anni a. Chr. n. 407; denique C. J. A. I, 176, cuius inscriptionis annus accuratius constitui non potest: Μεγακλείδης [Λευ]κονοιεύς. Non deest tamen inscriptio quinti a. Chr. n. saeculi, in qua Λευκονοεύς invenitur: anni a. Chr. n. 443: C. J. A. I, 237 in fine: Σάτυρος Λευκονοεὺς ξυνεγραμ[μάτευε]. Apparet igitur quinto saeculo scripturam eius pagi nondum certam fuisse; paullo aliter res se habet in inscriptionibus post Euclidis annum factis, ubi uno exemplo excepto: C. J. A. II, 864: Λευκονοιῆς semper Λευκονοεύς invenitur, velut: C. J. A. II, 330; II, 340, II, 445 d 14. II, 465. II, 467. II, 943. II, 960. II, 1040. II, 1049.

30. Λίθος. Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Κόνωνος: „τῶν τε παρόντων καθ' ἕνα ἡμῖν οὑτωσὶ καὶ πρὸς τὸν λίθον ἄγοντες καὶ ἐξορκοῦντες." ἐοίκασι δ' Ἀθηναῖοι πρός τινι λίθῳ τοὺς ὅρκους ποιεῖσθαι etc. p. 1265, 4.

Hoc loco iterum ars interpolandi, quae in archetypo codicum fuit, aperte cognoscitur, quoniam omnes codices pro λίθον scribunt: βωμόν, qua correctione tironibus sensus apertus fit, sed textus misere corrumpitur.

31. Μόρτανον. Δημοσθένης ὑπὲρ Κτησιφῶντος· φρούριον ἦν ἐν Θρᾴκῃ etc. p. 234, 14: in nullo codice ea nominis forma exstat, quae ab Harpocratione traditur: sed Σ habet μορτηνον, ut saepius in nominibus propriis, accentum dubitanter non ponens, Laurentianus: Μόρτιον. Μορτηνόν: A, k, vulgo: Μόρτιον, quod fortasse corruptum est ex Μόρτινον. Μορτηνὸν ab editoribus acceptum est.

32. Νεῶσι. (Νεῶσι: A. C. G. Νεώη Aldina, quae discrepantia nihil ad nostram rem facit). Δημοσθένης κατ' Αἰσχίνου· πόλις ἐστὶν ἐν τῇ Φωκίδι etc. p. 387, 9: codices omnes: Νέωσιν.

33. Ὅσιον . . . ὅτι δὲ τὰ ὅσια τὰ δημόσια δηλοῖ Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Τιμοκράτους σαφῶς διδάσκει περὶ τούτων· „καὶ τὰ μὲν ἱερά, τὰς δεκάτας τῆς θεοῦ καὶ τὰς πεντηκοστὰς τῶν ἄλλων θεῶν σεσυληκότας (sic codices lexici prave; nam casus primus requiritur) καὶ μετ' ὀλίγα: „τὰ δὲ ὅσια, ἃ ἐγίνετο ἡμέτερα, κεκλοφότες." p. 738. 5—7 codices omnes omittunt καὶ ante τὰ μὲν ἱερά. Atque re vera hoc participium σεσυληκότες melius subiungitur; dicit enim Demosthenes reos quodam modo sacrilegos esse: ἱερόσυλοί εἰσι, ita, ut nunc participium σεσυληκότες etc. non tam bene per καὶ adnectatur. In recensione igitur Atticiana illud καὶ deletum est, ut videtur, coniectura librarii. Praeterea codices ἡμέτερα in ὑμέτερα correctum habent. Magis arridere videtur Harpocrationis ἡμέτερα, cum, si de rebus communibus verba facit, Demosthenes melius ne se quidem excludat.

34. Πέριλλος (sic Epitome; ceteri libri Harpocrationis: Περίλλος)· Δημοσθένης ὑπὲρ Κτησιφῶντος: p. 242, 2 codices omnes nominis formam Περίλαος exhibent, quam Dindorfius retinuit, Blassius repudiavit et pro ea Harpocrationis Πέριλλος posuit,

cum Περίλαος neque Dorica neque Attica pronuntiatione diceretur, Lipsius scripsit in textu: Περίλας.

35. Πινάκια· τὰ καθιέμενα ἀντὶ κλήρων ὑπὸ τῶν κληρουμένων (sic ex coniectura Valckenarii; codices lexici: κληρονόμων; Valesius: κληρούντων). ἔοικε δ' εἶναι ταῦτα χαλκᾶ, ὡς ὑποσημαίνει Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τοῦ ὀνόματος, ἐν δὲ τοῖς Φιλιππικοῖς, ὅταν λέγῃ· „μικρόν, ὦ Ἀθηναῖοι, μικρὸν πινάκιον πάντα τὰ ἐνταῦθα. p. 96, extrem. Haec verba Demosthenis, sicut ab Harpocratione traduntur, nimis brevia et obscura videntur esse neque a tironibus facile intelliguntur. Talis autem sensus sine dubio in verbis inest: omnes, quas Diopeithes parat, difficultates (πάντα τὰ ἐνταῦθα) solvi possunt, si parvula tabula Athenienses utuntur. Itaque non mirum est, quod in omnibus nostris codicibus haec brevis positio verborum debilitata est: μικρὸν πινάκιον ταῦτα πάντα κωλῦσαι δύναιτ' ἄν. Quam lectionem non genuinam esse iam inde intelligi potest, quod a grammatico quodam in Etymologico Magno aliud verbum suppletum est: ταῦτα ἐπισχεῖν δύναιτ' ἄν. Apparet igitur ne illi quidem grammatico satis plenam visam esse sententiam, qua de causa ipse verbum ἐπισχεῖν coniecit et addidit.

36. Προβολάς· ἀντὶ τοῦ ἀσφαλείας ἐκ πόλεων ἢ τειχῶν ἢ τινων ἄλλων δυνάμεων ἐπὶ σωτηρίᾳ καὶ κράτει γιγνομένων. Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τῶν πρὸς Ἀλέξανδρον συνθηκῶν, εἰ γνήσιος: p. 218, 22, ubi codices omnes excepto Rhedigerano προσβολάς habent, quod falsum est. Nam loquitur grammaticus de defensione, quae syllaba προ significatur, cum contra προσβολή semper aggrediendi vim habeat. Itaque recte Dindorfius ex Harpocratione προβολας recepit.

37. Πρόσκλησις· ἡ εἰς δικαστήριον κλῆσις καὶ προσκαλέσασθαι τὸ παραγγέλλειν εἰς δίκην. Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τοῦ Ἁγνίου κλήρου.

p. 1054, 25 libri omnes falso: πρόκλησις, sed Harpocrationis interpretatione iam apparet syllabam προς desiderari, ita, ut, quod iam Reiskius coniectura effecit, πρόσκλησις etiam ex testimonio grammatici nostri in textu Demosthenis poni necesse sit.

38. Σιμύλος. Δημοσθένης ἐν τῷ ὑπὲρ Κτησιφῶντός φησιν· „ἀλλὰ μισθώσας ἑαυτὸν τοῖς βαρυστόνοις ὑποκριταῖς Σιμύλῳ καὶ Σωκράτει. p. 314, 12 codices omnes habent: τοῖς βαρυστόνοις ἐπικαλουμένοις ἐκείνοις ὑποκριταῖς, quod mea quidem sententia interpolatori debetur. Neque enim verisimile est, si alia simila exempla respicimus (velut s. v. Κυρσίλον) Harpocrationem, cumhunc locum exscripsit, verba ἐπικαλουμένοις ἐκείνοις negligentia omisisse.

39. Σύλας. Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τοῦ στεφάνου τῆς τριηραρχίας κἀν τῷ πρὸς τὴν Λακρίτου παραγραφήν· „ἐξελομενος, ὁπόταν μὴ σῦλαι ὦσιν Ἀθηναίοις: p. 927, 4. Harpocrationis ἐξελόμενος tolerari non potest, cum pluralis hoc loco requiratur, quem errorem verisimile est codicum mendo in textum grammatici nostri inlatum esse. Praeterea ὁπόταν sensu caret; neque enim de temporibus, quando licuerit Atheniensibus navem intercipere, sed de locis, ubi potestatem illam habuerint, agitur in tabellis. Itaque sine dubio codicum consensus probari debet: ὅπου ἄν. Atque, quamquam mihi id videtur corruptum esse in archetypo codicum Harpocrationis, tamen, si forte grammaticus ita legit, id non contra mea argumenta pugnat. Nam poterat profecto Harpocration in eo codice Demosthenico, quo usus est ὁπόταν ex ὅπου ἄν corruptum invenisse, Sed pergit grammaticus sic: ἐν δὲ τοῖς ἑξῆς ὥσπερ ἐξηγούμενος αὐτό φησιν· „σεσυλήμεθα δὲ τὰ ἡμέτερα αὐτῶν ὑπὸ Φασηλιτῶν ὥσπερ δεδομένων συλῶν Φασηλίταις κατ' Ἀθηναίων. ἐπειδὰν γὰρ μὴ θέλωσιν ἀποδοῦναι ἃ ἔλαβον, τί ἄν τις ἔχοι ἄλλο ὄνομα θέσθαι τῷ τοιούτῳ ἢ ὅτι ἀναιροῦνται τὰ ἀλλότρια (τὰ ἀλλότρια om: A. B. C. G Harpocrationis, habet Epitome et Aldira). Demosthenis autem codices hoc loco: p. 931, 23 saepius discedunt a lectionibus Harpocrationis: 1. post σεσυλήμεθα in codicibus omissum est δέ, recte, saltem, quemadmodum nun compositionem verborum in editionibus nostris invenimus. Nam illud membrum: σεσυλήμεθα etc. est apodosis, cui praecedunt duo participia: ἀδικοῦντες et ὠφληκότες.

2. codices habent omnes: σεσυλήμεθα ὑπὸ τούτων Φασηλιτῶν ὄντων, quae verba profecto multo languidiora sunt quam Harpocrationis: ὑπὸ Φασηλιτῶν. Nam, nisi fallor, id multo magis

decet vim dicendi Demosthenis. Quod, cum lingua Latina articulo careat, liceat nostra Germanica significare. Harpocrationis lectio hunc sensum praebet: „jetzt sind wir sogar schon von Phaseliten beraubt.“ Contra codicum: „jetzt sind wir von den Angeklagten, die doch nur Phaseliten sind, beraubt.“ Egoquidem puto grammatici verba genuina, codicum amplificata et interpolata esse.

3. Codices ponunt alii (Σ, A, r): τί ἂν τις ἄλλο ὄνομ' ἔχοι θέσθαι, alii (vulgo): τί ἂν ἄλλο τις ἔχοι ὄνομα θέσθαι, aliter atque Harpocrationis: τί ἂν τις ἔχοι ἄλλο ὄνομα θέσθαι, quae quidem positio, quod sensum attinet, cum Σ congruit. Quae positio verborum vera sit, in medio relinquo.

4. Pro ἀναιροῦνται praebent codices omnes: ἀφαιροῦνται βίᾳ. Sed praeterquam quod ἀναιροῦνται nude positum optime respondet antecedenti: σεσυλήμεθα, quis non intelligit, ἀφαιροῦνται βίᾳ deberi interpolatori, qui vim propriam verbi ἀναιρέω per ambages descripserit? Itaque puto Demosthenem scripsisse: ἀναιροῦνται, qui, cum συλάω repetere noluerit, hoc modo variavit elocutionem.

40. Φαρμακός ... Δημοσθένους δ' ἐν τῷ κατ' Ἀριστογείτονος λέγοντος· „οὗτος οὖν αὐτὸν ἐξαιρήσεται ὁ φαρμακός;“ Codices habent omnes: ἐξαιτήσεται; sed Blassius recte, ut opinor, posuit in textu Demosthenis secundum Harpocrationem: ἐξαιρήσεται: p. 794, 4. In archetypo codicum puto ἐξαιτήσεται scriptum esse, quod antea de fratre Aristogitonis verba fiunt, qui pro eo deprecaturus sit: p. 793, 19: ἐξαιτήσονται. Tamen hoc in nostrum locum non quadrat. Neque enim mirari potest orator, si frater pro reo deprecatur, sed, si preces eius hominis pestiferi ita valent, ut Aristogiton liberetur.

41. Χλῆδος· Δημοσθένης ἐν τῷ πρὸς Καλλικλέα περὶ χωρίου βλάβης· „ἔπειτα δὲ τὸν χλῆδον ἐκβαλὼν εἰς τὴν ὁδόν, ἐξ ὧν ὑψηλοτέραν καὶ στενωτέραν τὴν αὐτὴν ὁδὸν πεποιῆσθαι συμβέβηκεν.“

p. 1278, 4: codices omnes repudiant verbum ἐκβάλλειν, sed praebent aut ἐμβάλλων: Σ, Q, F aut ἐμβαλών; tantummodo in γρ. F et Q exstat: ἐκβαλών. 2. codices: ἐξ ὧν ὑψηλοτέραν τὴν ὁδόν (τ' εἶναι τὴν ὁδόν: Augustanus) καὶ στενοτέραν πεποιῆσθαι συμβέβηκεν· Quid maiore probalitate Demosthenes scripserit, per se vix disceptari potest; nos facile non dubitabimus, si alia exempla respicimus, Harpocrationem sequi.

42. Χρῆσται ... καὶ ἐν τῇ πρὸς Ζηνόθεμιν παραγραφῇ φησιν· „οἱ δὲ δανεισταὶ τὸ ἐξ ἀρχῆς ἠπατημένοι ὁρῶντες ἑαυτοῖς ἀντὶ τῶν χρημάτων ἄνθρωπον πονηρὸν χρήστην, ἄλλο δ' οὐδέν.“

p. 885, 19 omnes codices habent ἐξηπατημένοι; sed Demosthenem non semper compositi formam posuisse apparet nonnullis locis, ubi verbi simplicis formae etiam a codicibus traduntur, velut: p. 1086, 26 ab omnibus libris Demosthenicis: ἀπατηθείς. p. 1148, 27 optimus codex Σ: ἠπάτα. Etiam p. 398, 24 Blassius testimonio Libanii usus (IV, 345, 9) ἠπάτηκεν pro ἐξηπάτηκεν in textum Demosthenis revocare studuit, sed dubito, quo iure. Sed cum nostro loco: p. 885, 19 non sit, cur Harpocrationis auctoritatem repudiemus, recte Blassius ἠπατημένοι recepit.

Illis igitur locis omnino quadraginta duobus Harpocrationis lectiones a consensu omnium codicum discrepant. Itaque ex ea re certissime duae res colligi possunt: primum omnes codices nobis servatos ad unam editionem redire, ex uno archetypo fluxisse; deinde Harpocrationem usum esse recensione prorsus alia atque ea, quae codicibus nostris Demosthenicis repraesentatur quamque credibile est clarissimam Atticianam esse. Sed praetera apparet eam editionem Demosthenis, quam adhibuit grammaticus, etiam vetustiorem fuisse quam recensionem Atticianam. Nam cum compertum habeamus et Dionysium et Caecilium Calactinum aliosque multos criticos singulas orationes Demosthenis nomine traditas examinavisse, utrum genuinae essent an Demostheni falso suppositae, eiusmodi quaestiones profecto vestigia reliquerunt, ita, ut in novis editionibus Demosthenicis nonnullae orationes ex operibus Demosthenis eicerentur. Sic in archetypo codicum nostrorum numerus orationum minor fuit, quam illum in eo libro fuisse necesse est, quem Harpocration adhibuit; iam antea enim vidimus gram-

maticum locum quendam proferre ex oratione contra Medontem habita, quae ad nostram memoriam non pervenit. Sed praeterea, si quis singulas lectiones Harpocrationis cum consensu omnium codicum contulerit, facile cognoscet codicum lectiones plerumque aut interpolatas aut correctas ad usum lectoris esse, perpaucis tantummodo locis lexici scripturis praeferendas. Itaque hoc cum probabilitate quadam colligimus eam novam recensionem Demosthenis, ad quam codices nostri omnes redeunt, sive ab Attico sive ab alio quodam homine sic factam esse, ut nonnullae orationes tamquam spuriae non reciperentur, oratio permultis locis mutaretur, praesertim ut verba sollemnia pro singularibus et insitatis ponerentur. Quae si recte ratiocinati sumus, Lipsius erravit, qui censet omnes nostros codices eas orationes continere, quae in tabulis Callimachi inscriptae fuerint. Immo si ad Callimachi tabellas recensio aliqua redit, illa rediit, qua Harpocration usus est. Atque eodem modo ruit Useneri sententia codicum unam familiam (Σ. Laur.) singularem originem ex bibliotheca Aristotelica ducere. Contra hoc iterum iterumque tenendum est omnes libros Demosthenis memoriae traditos ex uno eodemque archetypo fluxisse eius novae recensionis, quae, etsi Harpocrationis aetate iam innotuerat, tamen nondum ceteras editiones loco demoverat neque sola ex omnibus remanserat. Atque plerique grammatici et rhetores eandem editionem mihi adhibuisse videntur, qua Harpocration usus est, non eam, quam Userus appellat Vulgatam [Aug. k. r. s. F. Bav. Q (vel Φ)]. Sed certum indicium de ea re proferre nondum audeo. Multo plus puto interim interesse ex eis, quos affert grammaticus, locis describere, quaenam et qualis fuerit illa editio Demosthenica ab Harpocratione adhibita, scilicet quatenus hoc ex testimoniis paucis et sterilibus concludi possit. Atque de singulis lectionibus Harpocrationis iam dictum est; ita sunt paratae, ut magna pars earum cum codicibus nostris consentiat: reliquae quadraginta duae, quae contra omnes codices vel, ut accuratius eloquar, contra archetypum codicum communem pugnant, ipsae quoque in duas partes dividendae sunt: alterum earum genus, quod in lemmate exstat, fere semper praebet singularia

vocabula, postea in editione Atticiana in sollemnes voces mutata, alterum constat ex eis locis, qui proferuntur ex tenore orationum singularum, ut interpretationes et iudicia a grammatico exemplis illustrentur. Et cum de posteriore parte nonnumquam liceat dubitare, quam accurate et recte grammaticus e codicibus suis protulerit, quamquam etiam plerique horum locorum sine dubio, uti antea vidimus, Harpocration aliter legit atque codices nostri exhibent, certissimum est prioris generis lectiones valde discrepare a recensione Atticiana. Non reticebo uno exemplo Harpocrationem graviter incusari videri, qui nimis negligenter ex Demosthenis libris protulerit. Censeamus de ea re! s. v. Πωλῶσι dicit grammaticus haec: Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Νεαίρας· „ἢ ἐν τῇ ἀγορᾷ πωλῶσί τι ἀποπεφασμένως.“ Δίδυμός φησιν ἀντὶ τοῦ πορνεύουσι φανερῶς. πωλεῖν γάρ τὸ παρέχειν ἑαυτὴν τοῖς βουλομένοις· ὅθεν καὶ τὸ πορνεύειν, ὅπερ ἐστὶ περνάναι. ἐγὼ δέ φημι, ὅτι κυρίως ἔταξε νῦν ὁ ῥήτωρ τὸ πωλεῖν. φησὶ γάρ τὸν νόμον οὐκ ἐᾶν ἐπὶ ταύτης μοιχὸν λαβεῖν, ὁπόσαι ἂν ἐπ’ ἐργαστηρίου καθῶνται ἢ ἐν τῇ ἀγορᾷ πωλῶσί τι ἀποπεφασμένως. Eum locum p. 1367, 27 Demosthenis omnes codices item exhibent: πωλῶσί τι ἀποπεφασμένως. Apparet autem Harpocrationem impugnare Didymum, ita, ut πωλεῖν sensu proprio intelligi iubeat, cum Didymus aliquid obscoeni in verbis πωλῶσί τι latere putaverit. Quomodocunque res se habet, necessario inde intelligitur utrumque legisse πωλῶσί τι, activi formam, quam praeterea Harpocration in lemmate posuit. Itaque mirum est, quod s. v. ἀποπεφασμένον in lexico alia lectio huius loci exstat: Δημοσθένης κατὰ Νεαίρας· „ἀποπεφασμένως πωλοῦνται.“ ἀντὶ τοῦ φανερῶς. Tamen si πωλοῦνται re vera a Demosthene scriptum esset, non esset dubium, quin orator obscoeni aliquid significaret, quin nihil eius ambiguitatis haereret, quae varias interpretationes admittit. Harpocrationem negligenter altero loco protulisse ex exemplari suo egoquidem affirmare non audeam. Itaque illam difficultatem non solvimus, nisi censemus in codicibus Harpocrationis πωλοῦνται pro πωλῶσί τι corruptum traditum esse. Sed hoc unum exemplum est, quod omnino dubitationem de Harpocrationis diligentia movere potest. —

Iam videramus Harpocrationem in sua editione Demosthenica legisse totam integram orationem contra Medontem habitam, quae ad nostram memoriam non pervenit. An aliae praeterea orationes in ea editione fuerint, dubium est: pro certo id affirmari non potest. Nam de ceteris octo orationibus, quas cognitum habemus periisse, unam Harpocration commemorat: s. v. Ἐνεπίσκημμα .... ἔστι δὲ καὶ λόγος τις ἐπιγραφόμενος: Δημοσθένους (vel Δημοσθένης) πρὸς Κριτίαν περὶ τοῦ ἐνεπισκήμματος, ὃν Καλλίμαχος μὲν ἀναγράφει ὡς γνήσιον, Διόνυσιος δὲ ὁ Ἁλικαρνασεὺς ὡς ψευδεπίγραφον. Quam orationem etiam aetate Harpocrationis integram fuisse cognosci potest verbis: ἔστι δὲ καὶ λόγος τις etc.; sed, utrum grammaticus eam in sua editione legerit necne, in suspenso relinquo. Harpocrationem plures orationes, quae perierunt, legisse praeterea ex alio loco sequi videtur: s. v. Ἐπωπτευκότων scribit: Ὑπερείδης ἐν τῷ ὑπὲρ Φρύνης· οἱ μυηθέντες ἐν Ἐλευσῖνι ἐν τῇ δευτέρᾳ μυήσει ὑποπτεύειν λέγονται ὡς δῆλόν ἐστιν ἔκ τε τοῦ Δημοσθένους λόγου καὶ ἐκ τῆς δεκάτης Φιλοχόρου. Sed illud verbum nusquam invenitur in Demosthenis orationibus. Itaque duae patent viae, quibus difficultas tollatur: aut cum Dindorfio coniectura efficiendum est: ἔκ τε τοῦ κατὰ Δημοσθένους λόγου, ita ut oratio illa Hyperidis contra Demosthenem habita dicatur aut putabimus exstitisse re vera ἐποπτεύειν in oratione aliqua Demosthenis, quae sicut aliae perierit.

Ceterarum, quae supersunt, orationum, grammaticus fere omnes affert, sed ita, ut ad quasdam apponat: εἰ γνήσιος, non tamen semper, ubi illas spurias commemorat, unde cognosci potest eum, quamquam non ignorabat nonnullas orationes in Demosthenis operibus vulgatas a criticis, velut a Dionysio et Caecilio addubitari, tamen non ipsum sua sponte de singulis orationibus agnoscendis vel improbandis iudicavisse. Ceterum ipse quoque agnoscit prooemia Demosthenis, cum ea eodem titulo atque codices praeter Σ afferat: προοίμια δημηγορικά: s. v: ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσι. et s. v. ὀρρωδεῖν. Item ex epistulis locos quosdam sumpsit, ut ex secunda et tertia nostrae editionis epistula: vide s. v. Καλαύρεια, ἐρανίζοντες, φθόνῳ; denique ex oratione funebri bis singula verba interpretatur: s. v. Αἰγεῖδαι

et Κεκροπίς, quamquam ad eam laudationem funebrem ab omnibus et veteribus et nostris criticis contemptam utrobique apponit: εἰ γνήσιος. Inde igitur sequitur, in ea recensione, qua Harpocration usus est, ne epistulas, prooemia, orationem funebrem quidem defuisse. Qua ratione autem singulae orationes in ea editione dispositae fuerint, quamquam cognosci non potest, tamen hoc unum apparet orationes Philippicas ibi uno volumine comprehensas fuisse. Quin etiam eodem ordine illae se exceperunt, quo nos eas nunc legere solemus: orationes primam et ceteras usque undecimam dico. Hoc exemplis demonstrabo: s. v. ἀπιστίαν· Δημοσθένης ἐν θ' Φιλιππικῶν: exstat verbum p. 124, 1 in tertia, quam proprie sic appellamus, Philippica oratione, quae in nostris quoque editionibus nonum locum tenet: item s. v. Μαλκίομεν et Ἔθνος. Βούχετα· Δημοσθένης ἐν Φιλιππικῶν ζ': p. 84, 13 in oratione Hegesippi de Halonneso habita; etiam in nostris editionibus septima Philippica. Tamen Harpocration bis adscribit: εἰ γνήσιος: vid. s. v. Ἡγήσιππος, ubi legimus secundum indicium nonnullorum orationem esse Hegesippi.

Διοικεῖν· Δημοσθένης ἐν ε' Φιλιππικῶν: p. 59, 16: oratio de pace habita, quae in nostris editionibus item quinto loco exstat.

Εἰσφρήσειν· Δημοσθένης ἐν η' Φιλιππικῶν: p. 93, 18: oratio de Chersoneso habita, eundem locum in editionibus tenens: item s. v. Μάσπειρα.

Καθήκοντα· Δημοσθένης ἐν ι' Φιλιππικῶν: p. 141, 11: oratio, quam dicimus proprie quartam Philippicam, etiam in editionibus decimo loco exstans.

Haec exempla sufficiant! Nam, quamquam fieri potuit, ut aliquis librarius postea numeros addiderit, tamen restant permulti loci, ubi dicit Harpocration ἐν Φιλιππικοῖς, cum ex qualibet earum undecim orationum verbum aliquod interpretatur.

Praeterea dignum est, quod commemoretur, nonnulla litis instrumenta, quae inserta sunt in singulis orationibus, ab Harpocratione afferri tamquam si ex ipsa oratione Demosthenis essent. Quare demonstratur leges et testimonia iam satis vetusta esse, scilicet ea, ex quibus Harpocration locos quosdam affert. Exempla nonnulla proferam:

s. v. Ἄξονι· Δημοσθένης ἐν τῷ κατ᾽ Ἀριστοκράτους· „ὡς ἐν τῷ ἄξονι εἴρηται,“ qui locus promptus est ex legis formula p. 629, 21.

s. v. Ἐπιδιετὲς ἡβῆσαι· Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Στεφάνου. p. 1135, 4 item ex legis formula prolata.

s. v. Θῆτες καὶ θητικόν . . . καὶ Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ Ἁγνίου κλήρου· „τῶν ἐπικλήρων, ὅσαι θητικὸν τελοῦσιν“: verba exstant in legis formula (p. 1067, 27), quam Σ, F, Q omnino omittunt.

s. v. Ἐπὶ Θρασύλλῳ· Δημοσθένης ἐν τῇ πρὸς Πανταίνετον παραγραφῇ φησι· τὸ ἐπὶ Θρασύλλῳ: haec quoque verba exstant in instrnmento quodam litis, id est in libello accusatorio (ἔγκλημα) p. 973, 25. Ex eodem libello intepretatur Harpocration verbum: κεγχρεών: p. 671,9 s. v. κεγχρεών. Et alia exempla sunt, quae omnia afferre nihil refert. Itaque, si sententiae et verba ex illis litis instrumentis proferuntur tamquam ex gennino textu Demosthenis, sequitur, ut in editione, qua grammaticus usus est, iam illae formulae fuerint, non postea a rhetoribus interpolatae et illatae sint. Itaque ei viri docti mihi recte indicare videntur, qui putant, nisi gravissimae causae et testimonia contra formulas legum et testimoniorum pugnent, eas non improbandas esse.

Praeterea, cum nobis videantur Harpocrationis lectiones ad vestutiorem quandam recensionem redire, quae periit, fortasse iuvat iam nunc quaerere, quam rationem Harpocration in oratione Philippica tertia sequatur, unde firmissimum praesidium accrescit eis locis, quos grammaticus noster agnoscit.

Notum enim est huius orationis duplicem recensionem esse, alteram breviorem, tamen non pravam, quam Σ et Laur. semper praebent, alteram multo ampliorem, quae a ceteris codicibus traditur. Itaque cum utraque recensio aptum sensum praebeat, viri docti incerti sunt, utrum ceterorum codicum praeter Σ et Laur. additamenta ex vetusta traditione orta sint, an interpolatori alicui, qui postea vixit, debeantur. Et, quoniam mea quidem sententia certae causae inveniri non possunt, cur unum vel alterum statuamus, nimirum magna dissensio de ea re est et semper erit, donec nova fortasse testimonia in lucem proferentur, quorum auxiliio tandem continget, ut certum iudicium de ea re fiat. Tamen nos Harpocrationis testimonia non negligemus. Tres autem locos affert grammaticus ex medio tenore orationis Philippicae tertiae, quorum verbis et litteris optime demonstratur, quid ille in libro suo legerit.

1. s. v. Ἄτιμος· τοῦτο ἰδίως ἔταξε Δημοσθένης Φιλιππικοῖς . . . εἶτ᾽ ἐπιφέρει ὥσπερ ἐξηγούμενος· τοῦτο δ᾽ ἐστὶν οὐχ, ἣν οὕτω τις ἂν φήσειεν ἀτιμίαν· τί γὰρ τῷ Ζελείτῃ τῶν Ἀθηναίων κοινωνεῖ εἰ (sic codices!) μὴ μεθέξειν ἔμελλεν; ἀλλ᾽ ἐν τοῖς φονικοῖς γέγραπται νόμοις, ὑπὲρ ὧν ἂν μὴ διδῶ δίκην φονου (sed duo codices Harp: διδῶ φόνου) δικάσασθαι, „καὶ ἄτιμος, φησι, „τεθνάτω· τοῦτον (sic plerique, pauci codices Harp: τοῦτο) δὴ λέγει καθαρὸν τὸν τούτων τινα ἀποκτείναντα εἶναι. Locus promptus est ex tertia Philippica p. 122, 12. Apertum mendum codicum lexici est: κοινωνεῖ εἰ, quod dittographia ex κοινῶν εἰ ortum est; item pro τοῦτον cum minore numero codicum: τοῦτο legendum est. Sic autem vera lectione restituta Harpocration omnino consentit cum breviore recensione, quae praebetur in codicibus Σ et Laur., nonnunqaam etiam in aliis codicibus, atque gravissimus testis est contra alteram recensionem ceterorum librorum magis amplificatam. Non dico de positione verborum diversa: Σ, Aug, Laur, Harpocration: ἣν οὑτωσί (Harp: οὕτως) τις ἂν cum vulgo: ἣν ἂν οὑτωσί τις codices exhibeant. Gravius est, quod pr. Σ, pr. Laur. Harp. habent: τί γὰρ τῷ Ζελείτῃ, τῶν Ἀθηναίων κοινῶν εἰ μὴ μεθέξειν ἔμελλεν; ceteri: τί γὰρ τῷ Ζελείτῃ τοῦτ᾽ ἔμελλεν, εἰ τῶν Ἀθήνησι κοινῶν μὴ μεθέξειν ἔμελλεν. Quis non videt illud ἔμελλεν post τοῦτ᾽, quod verbum sane sensu supplendum est, nihil esse nisi miserrimam interpolationem, qua unicuique tironi omnia clara fiant? Quod praeterea stultissime suppletum est, cum paullo post idem verbum μέλλειν prorsus alia significatione exstet; non aliter de τῶν Ἀθήνησι κοινῶν pro τῶν Ἀθηναίων κοινῶν indicandum est, quod ipsum quoque interpolatori stulto debetur. Deinde addunt codices vulgo contra auctoritatem Harp. Σ. Laur. post ἔμελλεν verba: ἀλλ᾽ οὐ τοῦτο λέγει. Ne id quidem, quo connexum sententiarum, qui illa interrogatione: τί γάρ etc. interrumpitur, excipere voluit interpolator, tolerari potest; denique quod plerique codices post δικάσασθαι addunt: ἀλλ᾽ εὐαγὲς ἦ τὸ ἀποκτεῖναι, Harpocration

cum pr. Σ, Laur, Y facit, qui id omittunt. Quamquam ea verba signum interpolationis non ita prae se ferunt, tamen ideo quod ne grammaticus quidem noster ea agnoscit, potius censeam illa e legibus capitalibus descripta et postea a rhetore aliquo addita, non genuina esse. Itaque si quaerimus, quidnam toto loco efficiatur, sine dubio Harpocration in editione Demosthenis, quam adhibuit, breviorem recensionem legit, quae semper in codicibus Σ et Laur. servata est.

Aggrediamur ad secundum locum, quem Harpocration e tertio Philippica affert! Bis enim et s. v. δυσωποῦμαι et s. v. ὑπάγουσιν grammaticus, ut singularem usum utriusque verbi declaret, breviter commemorat ea verba a Demosthene in orationibus Philippicis alicubi adhiberi. Sed cum δυσωποῦμαι et ὑπάγουσιν nusquam nisi in sententia quadam, quae a recentissima manu in marginibus codicum Σ et Y scripta est, exstent, sequitur, ut ex communi archetypo codicum nostrorum consilio exclusa sint, ita, ut postea demum aliunde ad margines codicum Σ et Y adnotata sint, ex ea recensione, puto, ad quam Harpocrationis lectiones redeunt. Sententia autem haec est: p. 127, 24 post ἐνον· „καὶ τοὺς εἰς ταῦθ' ὑπάγοντας ὑμᾶς ὁρῶν οὐκ ὀρρωδῶ, ἀλλὰ δυσωποῦμαι· ἢ γὰρ ἐξεπίτηδες ἢ δι' ἄγνοιαν εἰς χαλεπὸν πρᾶγμα ὑπάγουσι τὴν πόλιν. Quae verba a nullo adhuc editore probata sunt. Atque re vera, quamquam per se aptum sensum praebent, eo loco, ad quem in marginibus codicum Σ et Y adnotata sunt, progressum sententiarum, si non delent, at tamen ineleganter turbant. Dicit enim Demosthenes antea se timere, ne Athenienses idem patiantur, quod aliorum oppidorum cives, id est, ne Philippi potestati se dedant, postquam ratiocinati noverint nihil aliud sibi reliquum esse. In eum tenorem optime quadrat, si statim adnectitur: καίτοι μὴ γένοιτο τὰ πράγματ' ἐν τούτῳ etc. Sed poterat orator, prinsquam id optat, antea de eis loqui et monere, qui populum sive consilio sive inscii in tales res adversas proerepturi essent, praesertim cum paullo ante, ubi Olynthiorum, Eretriensium, Oritani populi res confert cum Atheniensium, et de bonis et de malis suasoribus eorum verba faciat. Itaque ego, cum putem Harpocrationis auctoritatem non negligendam esse, retineam

totam sententiam· Neque enim credibile est ullum grammaticum vel rhetorem verba ex ingenio suo interpolavisse, quae nimis singularia et propria videntur esse neque interpolatori miserrimo deberi possunt.

Restat tertius locus ex oratione Philippica tertia ab Harpocratione allatus: s. v. ἔθνος pergit Harpocration sic: ἐν δὲ τῷ θ' Φιλιππικῷ φησιν· „ἀλλὰ Θετταλία πῶς ἔχει; οὐχὶ τὰς πόλεις καὶ τὰς πολιτείας αὐτῶν ἀφῄρηνται καὶ τετραδαρχίας κατέστησε παρ' αὐτοῖς, ἵνα μὴ μόνον κατὰ πόλεις, ἀλλὰ καὶ κατὰ ἔθνη δουλεύωσιν;“ Primum ἀφῄρηνται in ἀφῄρηται mutandum est, nam numerus pluralis mea quidem sententia mendo codicum Harpocrationis pro singulari ortus est, cum mihi probabile non sit Demosthenem ipsum eo consilio pluralem posuisse, ut significaret eas urbes non a Philippo ipso, sed iussu illius ab aliis hominibus captas esse. Praeterea lectio, quam grammaticus praebet, a consensu omnium codicum Demosthenis abhorret, qui habent: παρῄρηται. Cum utrumque bene poni possit, diiudicari nequit, utra scriptura per se praeferenda sit. Tribus autem locis facit Harpocration cum ceteris codicibus contra Σ, Laur atque Augustanum. Primum positionem verborum habent Harp. et plerique codices: τὰς πόλεις καὶ τὰς πολιτείας: contra Σ, Laur, Aug.: τὰς πολιτείας καὶ τὰς πόλεις, deinde Harp. et plerique codices formam: τετραδαρχίας, Σ, Aug. Laur: τετραρχίας; denique Harp. et ceteri ante ἵνα habent: παρ' αὐτοῖς, cum iterum Σ, Laur, Aug. ea verba omittant. Sed horum locorum omnino tertius ad rem pertinet, cum ibi aliquid additum sit: παρ' αὐτοῖς, quod interpolatori deberi potest. Nam quod Harpocration cum plerisque codicibus contra Σ τετραδαρχίαν praebet et aliam positionem verborum atque Σ habet, eae discrepantiae profecto prorsus alius generis sunt.

Itaque nolim concludere ex ea exigua re in editione, quam Harpocration adhibuit, fuisse recensionem longiorem, praesertim cum etiam codex Augustanus illis tribus locis contra grammatici lectiones pugnet, qui alibi recensionem amplificatam fere semper agnoscit. Immo putandum est in archetypo principe familiae Atticianae sic, ut Harpocration et plerique codices Demosthenis praebent, hoc loco scriptum fuisse; deinde

in archetypo codicis Σ et Laur. mutatum esse, quibuscum in ea re Augustanus consentit. Itaque mea quidem sententia Harpocration nondum legit ea additamenta, quae sunt in plerisque codicibus praeter Σ et Laur., quaeque interpolatoria esse mihi credibile est.

Haec habui, quae in tertio capite dicerem. Sequitur, ut de codicibus Demosthenis ipsis quaeram, postquam iam nunc nisi fallor, apparuit omnes redire ad unum eundem archetypum recensionis, ut videtur, Atticianae.

Cap. IV.

Gravissimo testimonio Harpocrationis nisus proximo capite ostendere studui olim apud veteres editionem Demosthenis vulgatam fuisse, quae ad nostram memoriam non pervenit. Sed cum ab omnibus codicibus oratio adversus Zenothemin in fine manca tradatur, cum Harpocration etiam alias orationes legerit, quae ad nostram memoriam non pervenerunt, potest aliquis fortasse duas res inde sibi colligere: primum: etiam in recensione Atticiana olim eas orationes fuisse, quae perierunt, deinde grammaticum nonnisi exemplari integro eius recensionis usum esse, non ex alia editione lectiones Demosthenicas descripsisse. Atque si de altera condicione sine dubio concedi debet fieri potuisse, ut etiam in principe archetypo familiae Atticianae olim plures orationes fuerint, hoc alterum profecto certissimis argumentis evincitur Harpocrationem adhibuisse aliam recensionem Demosthenicam, quae erat vetustior quam Atticiana. Itaque omnia argumenta colligam, quibus hanc meam sententiam veram esse probetur. Id enim primum sequitur inde, quod quadraginta duobus locis Harpocrationis lectiones pugnant contra omnium codicum consensum, ita, ut saepius grammatici verba tamquam magis genuina magis arridere videantur quam codicum. Tum Harpocration, si quid ex oratione aliqua Philippica profert, sive ex Olynthiacis sive ex oratione de pace habita sive ex ceteris, quae non proprie in codicibus nostris Philippicae vocantur, semper tamen titulo illo utitur. Eandem autem rationem Libanius sequitur, qui ipse quoque videtur librum aliquem adhibuisse, qui non erat

Atticiana familia. Itaque non sine iure W. de Christ ratiocinatus est olim fuisse orationes duodecim Philippicas quae dicuntur, uno volumine comprehensas, quod volumen simpliciter: λόγοι Φιλιππικοί vocatum esset. Postea demum a librario archetypi communis codicum nostrorum singulis orationibus Philippicis singulares tituli inditi sunt. Quae cum ita sint, aliud novum habemus argumentum, quo probatur Harpocrationem vetusta illa editione usum esse, quae cum codicibus omnibus nostris, id est cum recensione Atticiana nullo modo cohaeret. Porro, ut iterum moneam, Harpocration exemplaria Atticiana ita nonnullis locis commemorat, ut appareat illum nonnisi locis difficillimis ea adhibuisse et inspexisse, cum alibi semper alia recensione Demosthenica usus sit. Denique W. de Christ in singulari suo libello argumentis invictissimis docuit litis instrumenta, quae in nonnullis orationibus inserta sunt, in archetypo primo familiae Atticianae non fuisse; id enim sequitur ex numeris versuum, qui et in fine singularum orationum inveniuntur et certis intervallis etiam in margine se excipiunt, unde cognoscitur versus orationum numeratos, numeros accurate adscriptos esse. Sed, cum in nonnullis orationibus, si leges et testimonia non excluduntur, numeri non consentiant cum versibus ipsis, necesse est ea instrumenta in principe archetypo Atticiano non fuisse, postea demum a librariis codicum recepta esse. Potest autem id affirmari de legibus et testimoniis orationum de Corona, Midianae, adv. Macartatum, de Halonneso, de elegiis et trimetris in oratione de falsa legatione. Quod si Christ recte ratiocinatus est, Harpocrationis codex profecto non ex officina Attici oritur, quoniam grammaticus noster et ex legis formula orationis contra Stephanum et ex libello accusatorio Macartateae locos profert tamquam e medio tenore orationis: s. v. Ἐπιδιετὲς ἡβῆσαι et Θῆτες καὶ θητικόν.

Neque omnino, quod contendimus antea fuisse recensionem Demosthenicam prorsus aliam, quae a nullo codicum nostrorum repraesentatur, id tantopere abhorret ab aliis indiciis, quae idem testari videntur. Sic idem vir doctus W. de Christ statuit suo iure, ut opinor, quamquam non accuratius persecutus est eam sententiam, et Dionysium Halicarnassensem

et Libanium altera rencensione vetustiore quam archetypo codicum usos esse. Huc accedit, quod nuperrime nonnulli papyri magnopere mutilati inventi sunt, quorum lectiones sex locis contra omnium codicum consensum pugnare Lipsius ostendit (l. l. p. 1—10), unde ille vir doctus suo iure collegit, papyros eos ex alio fonte atque codices nostros oriri. Ex ea autem vetustiore recensione Harpocrationem quoque lectiones suas Demosthenicas prompsisse, quid est probabilius?

At quamquam testimonio Harpacrationis saepius ostenditur codicum lectiones non tam bonas esse, tamen non debet omnino desperari de fide et auctoritate eorum. Nam respiciendum est saepius quam quinquagies lectiones, quae in lexico ex Demosthene afferuntur, convenire cum omnibus codicibus verbotenus, deinde, id quod imprimis tenendum est, fortasse casu quodam factum esse, ut multa vitia codicum testimonio Harpocrationis noverimus, cum imprimis verba singularia, quae grammaticus noster interpretatur, in sollemnia a scriba archetypi Atticiani mutata sint.

Itaque non possum Blassii aliorumque sententiam probare, qui codicum auctoritate fere neglecta opinantur, Demosthenis orationes secundum rationem quandam rhythmicam et metricam sanandas esse. Nam etiamsi iam apud veteres fuerunt, qui putarent Demosthenem versus et rhythmos in orationibus suis appetivisse, etiamsi ipse Dionysius Halicarnassensis uno quidem loco (initio Aristocrateae) versus legendos esse sibi persuasit, etiamsi denique in codice Augustano, qui codex non solum a grammatico, sed etiam ab homine artis rhetoricae perito saepissime inquinatus est, nonnumquam punctis appositis tota oratio in cola rhythmica distributa videtur esse, tamen eis rebus nihil demonstratur nisi hoc unum: iam a veteribus criticis quibusdam eiusmodi conamina facta esse. Fortasse etiam concedi potest nonnullis locis Demosthenis grande genus dicendi et magnificentiam verborum rhythmos et versus aequare; sed si quis ita textum oratoris nostri tractat, ut modo deleat, modo addat verbum; modo hunc, modo illum codicem sequatur atque ex testimonio aliquo rhetoris vel grammatici cuiusdam id sibi eligat, quod placet, alia negligat, is mihi iam non rationem,

sed libidinem adhibere videtur. Liceat igitur, ut illud meum iudicium de Blassii ratione critica fulciatur argumentis, pauca exempla afferre. In prima oratione: p. 10, 25 (§ 6) ab omnibus codicibus traditur: οὐδὲ γὰρ λόγος οὐδὲ σκῆψις ἔθ' ὑμῖν τοῦ μὴ τὰ δέοντα ποιεῖν ἐθέλειν ὑπολείπεται. Quae verba optimum sensum praebent. Sed Isidorus Pelusiota, quem in epistulis suis Demosthenis sermonem et elocutionem imitatum esse, Blassius animadvertit (p. VIII praefationis editionis Teubnerianae), sine dubio nostrum locum in mente habuit, quod scripsit V. 508: οὔτε λόγος οὔτε σκῆψις ὑπολείπεται, τοῖς διδάσκειν μὲν τολμῶσι, τοὐναντία δὲ ὧν λέγουσι πράττουσι.

Facile igitur intelligimus Isidorum Pelusiotam e memoria non accurate codicibus perspectis allusisse ad Demosthenis locum, ita, ut tria verba graviora: λόγος, σκῆψις, ὑπολείπεται secundum Demosthenem posuerit, cetera neglexerit neque imitari voluerit. Sed etiamsi concedimus, quod minime probabile est, Isidorum verbotenus exscripsisse ea verba ex codice Demosthenico, quo usus est, nonne mirum atque prorsus improbandum est, quod Blassius inde delevit in textu Demosthenis verbum ἔθ' post σκῆψις, ceteras discrepantias inter Isidorum et codices omnino neglexit? Profecto enim nihil aliud eum commovit, ut verbum ἔθ' deleat nisi quod noluit tres syllabas breves se exipere: ψῐς, ἔθ ῠ: ⏑ ⏑ ⏑

Tamen, cum ἔτι optime nostro loco satisfaciat sententiae, nolim id omitti. Aliud exemplum afferam, quo Blassii ratio critica illustretur: in oratione de falsa legatione: p. 346, 1 (§ 16) legimus in textu, quem Blassius constituit: νόμον τε θήσειν καὶ γράφειν μηδενὶ τῶν Ἑλλήνων ὑμᾶς βοηθεῖν, ὃς ἂν μὴ πρότερος βεβοηθηκὼς ᾖ. Sic verba una cum sequentibus efficiunt egregie pentametrum dactylo-spondaicum.

ὃς ἂν μὴ πρότερος βεβοηθηκὼς ᾖ: - - - ⏑ ⏑ - ⏑ ⏑ - - - -
καὶ ταῦθ' ὁ σχέτλιος καὶ ἀναιδὴς οὗτος - - - ⏑ ⏑ - ⏑ ⏑ - - - -

Tamen traditur in codicibus post vel ante βεβοηθηκὼς pronomen ὑμῖν, quod, cum contra metum pugnet, a Blassio e textu eicitur. Sed si quis sententiam accuratius inspexerit, inveniet ὑμῖν omnino deesse non posse; quaeritur enim, cui

auxilio venisse oportuerit illos, quos solos Demosthenes iubet iuvari: Atheniensibus scilicet: ὑμῖν. At quod pronomen bis positum: ὑμᾶς βοηθεῖν, βεβοηθηκὼς ὑμῖν fortasse alicui offensioni sit, afferam alterum exemplum, quo ostenditur Demosthenem nequaquam talia vitavisse: in oratione de corona habita: p. 236,20 (§ 33) legimus in codice Σ: εἰ πρὸ τοὺς Φωκέας ἀπολέσθαι ψηφίσασθε τοῖς βοηθεῖν Φωκεῦσιν; ceterorum codicum alii habent: αὐτοῖς βοηθεῖν, alii τοῖς Φωκεῦσιν omittunt. Ego non crediderim lectionem τοῖς Φωκεῦσιν tolerari non posse, quia verbum bis positum nimis molestum sit, sed malim cum Voemelio codicis Σ genuina, ut mihi videntur, verba: τοῖς Φωκεῦσιν tueri atque retinere, etiamsi omnes editores praeter Voemelium ea non agnoscunt. (cf. Voemel. praefatio ad Demosth. contiones p. 283).

Sed quamquam hoc loco profecto ambigi potest, certe in oratione de falsa legatione p. 346,1: ὑμῖν pronomen retinendum est. Haec exempla, ne nimis in ea re remorer, sufficiant, quibus Blassii ratio critica illustretur. Egoquidem non puto Demosthenem magis rem metricam in orationibus suis appetivisse quam sententias curavisse, ut quam ingentissimae et gravissimae fierent. Praeterea mea quidem sententia non refert, grammaticorum, rhetorum aliorumque scriptorum posterioris aetatis testimonia ea ratione adhibere, qua Blassius illis utitur. Immo potius non singula testimonia singulorum rhetorum et grammaticorum afferenda sunt, ex quibus eligitur, quod editori arridet, neglegitur, quod displicet, sed semper summa diligentia examinari debet, quae fides omnino habenda sit toti acervo locorum Demosthenicorum, quos singuli grammatici vel rhetores ex Demosthene proferunt. Ita si egerimus, quattuor, ut opinor, rationes inveniemus, quibus singuli scriptores locos ex Demosthene hauserint: aut illi omnino secundum memoriam et negligenter Demosthenis verba sibi arripuerunt aut eorum lectiones verbotenus plerumque consentiunt cum omnibus codicibus, ita, ut paucis et exiguis rebus differant, aut eae praecipue unam classem codicum sequuntur aut denique omnino abhorrent ab omnibus libris, ut iam tota indole earum cognoscatur scriptorem hausisse ex alia recensione De-

mosthenica, quae ad nos non pervenit. Unumquemque puto intelligere ceteras tres condiciones nullius pretii esse ad textum constituendum atque nonnisi hanc unam respiciendam esse, si vigore nativo et ingenti copia earum lectionum, quas rhetor vel grammaticus aliquis praebet, appareat eum vestustiorem fontem Demosthenicum adhibuisse quam qui codicibus nostris repraesentatur.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Aristoph. Eccl. 602 scribendum est: .
Βλ: χὠ μὴ καταθεὶς ψευδορκήσει. Κἀκτήσατο γὰρ διὰ τοῦτ᾽.
2. Ter. Eun. 710 scripsisse: Etiam nunc non credam indignis nos esse inrisas modis?
3. Eurip. Cycl: 151 retinendum esse verbum; ὀσμὴν cum ex ipso tenore tum ex Homeri exemplo cognoscitur (Odyss IX, 210).

Vita.

Natus sum Guilielmus Helmke a. h. s. LXXI Pr. Kal. Jul. patre Christopho, matre Maria, e gente Thiele, quos parentes praematura morte mihi abruptos esse valde doleo et semper dolebo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus Berolini in gymnasio Humboldtiano frequentavi in hac eadem urbe Gymnasium Regium Joachimicum, in quo maturitatis testimonium assecutus sum. A, h. s. LXXXXI inter cives academicos receptus primum studiis theologiae Halis, deinde philologiae in universitate Berolinensi operam dedi. Docuerunt me viri docti Halae: Beyschlag, Burdach, Dittenberger, Droysen, Erdmann, Haupt, Haym, Kautzsch, Loofs, E. Meyer: Berolini: Diels, Dilthey, Hübner, Kirchhoff, Kübler, Paulsen, E. Schmidt, Vahlen, Weinhold, Zeller, Rödiger.

Ad exercitationes benigne mihi aditum praebuerunt theotiscas E. Schmidt, philologicas Kübler, cuius doctrina per ter sex menses fructus sum; seminarii sodalis fui quinquies sex menses, quod moderantur Kirchhoff et Vahlen. Quibus viris omnibus optimo de me meritis, gratias ago quam maximas, praecipue vero Küblero, Kirchhoffio, Vahleno, qui consilio et disciplina studia mea quam maxime auxerunt et sublevaverunt.